

quirit, quæ omnia aliis etiam inferioris ordinis sacerdotibus esse necessaria, præsertim his qui animarum curam susceperunt, ex dictis Pauli intelligere oportet. Nam de hac re nos aperte admonuit Chrysostomus, qui homilia undecima super priore Pauli ac Timotheum epistola sic ait: Postquam de Episcopis dixit, eosque formavit, quidnam illos habere conveniat, à quo item abstinere necessè, se sit dictans, omisso interim presbyterorum ordine, ad diaconos transit. Cur id quæso? Quia scilicet inter Episcopum atque presbyterum interest ferme nihil. Quippe & presbyteris Ecclesiæ cura permittitur: & quæ de Episcopis dixit, ea etiam presbyteris congruunt. Hæc Chrysostomus. Sed jam opus est ut videamus an omnes Episcopi & Sacerdotes tales sint, quales Paulus censuit illos esse. De hac re cupiebam nihil dicere, ne in maledictionem Cham incurrisse videar, propterea quod verenda patrum omnibus palam facere velim. Sed quia multorum Episcoporum & sacerdotum indignitas est tam aperta, ut quamvis ego tacerem, silentio meo illam tegere non possem, ideo necessarium mihi fuit, aliqua ex nimium publicis proferre, ut postea clare ostendere possim, id quod à principio hujus capituli dicere statui, illorum indignitatem multarum hæresum fuisse causam. Multi sunt Episcopi & alii rectores animarum juvenes, & multi tam modicæ ætatis, ut vix pueritiam excesserint. Quæ res tam aperte est mala, ut non solum sanctorum virorum: sed gentilium Philosophorum testimonio damnentur. Nam Aristoteles dicit: Nemo eligit juvenes duces, quia non constat eos esse prudentes. Est enim prudentia summe necessaria illi qui alios regere, & corrigere debet. Juvenes autem nedum adolecentes & pueri (ut Aristoteles dixit) prudentes esse non possunt, quia nullam profus aut minimam habent rerum experientiam, sine qua vix ulla potest haberi prudentia: Qui non est tentatus (inquit Ecclesiasticus Eccl. 34.) quid scit? Vir in multis expertus cogitabit multa, & qui multa didicit enarrabit intellectum. Qui non est expertus, pauca recognoscit. Cum igitur constat, adolecentes & pueros minimam rerum experientiam habere, constare etiam oportet illos non esse prudentes. In antiquis (inquit Job (cap. 12.) est sapientia, & in multo tempore prudentia. Ex quo aperte colligitur, ut in modico puerorum & adolecentium tempore, prudentia esse non possit. Hinc est quod quum Deus decrevit conferre Moyfi adjutores, qui illum ad immensum regiminis onus portandum juvenent, non pueros, nec adolecentes, neque juvenes, sed senes illos præcepit esse, sic dicens: (Num. 11.) Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti quod senes populi sunt ac magistri. Dicens, quos tu nosti quia senes populi sunt, expressit non solum ætatis senectutem esse necessariam: sed oportere, ut senectus mentis sit illis conjuncta. Si enim sola corporis senectus in illis quaereretur, tot illam noscere poterant, quot poterant illos videre. Dum vero dicitur, quos tu nosti quod senes populi sunt, profecto liquet quod non solum corporis senectus, sed simul cum ea senectus mentis eligenda nuntiatur. Et certe monstruosa quedam res est & nimium deploranda, ut is qui ad regimem aliorum constitutus est, alio rectore vel (ut aperius loquar) pedagogo indigeat. Nam qui seipsum regere nescit, qui sit ut alios regere valeat? Ideo sapiens comparatur terræ, quæ puerum regem habet, sic dicens: (Eccl. 10.) Væ tibi terræ cuius Rex est puer. Quam magnum malum sit, pueros in regimine constituisse, vel ex eo facile intelligi potest, quod Dominus

hoc pro maxima pœna minatur populo Juda, per Esaiam Prophetam (cap. 3.) dicens: Dabo pueros Principes eorum, & effeminati dominabuntur eis. Verum & si res aperitissima sit, valde malum & nimis pernitiosum esse, pueros aut adolecentes in regimine animarum constituisse, qui tamen illos constituerunt, aut illos constitui procurarunt, hæc excusatione illam defendere nituntur, quod bona de illis pueris aut adolecentibus habetur spes, illos in optimos & perfectos viros evasuros. Ridenda quippe excusatio, quæ tam multis nominibus convincitur esse vana. Nam hujusmodi spes nihil certum promittere potest, cum tam multos quotidie videamus juvenes & senes multis & variis criminibus irretitos, qui bonam de se spem dederunt in pueritia. Prudentis igitur viri erit, non fidere pueris quos sæpe sefellisse constat. Deinde & si spes certa esset, illos bonæ indoli suæ postea responsuros, non tamen ideo tam grave onus esset illis imponendum, quando sola habetur spes: sed expectandi sunt quousque tales illos, quales sperabantur, evasisse intelligant. Alioqui, impone alicui mulo aut asino duorum mensium gravissimam aliquam sarcinam nimium vires illius excedentem propterea quod optima de illo habetur spes, optimum aliquando futurum jumentum, quod multo graviori sarcinæ portandæ sufficit. Si hoc non audes parvulo mulo aut asino committere propter solam spem futuri, cur audes regimen animarum, quod mille sarcinis est multo gravius, puero propter solam futurorum spem committere? Numquid pluris facis jumentum tuum quam animam pueri, cui tam immensum pondus imponere non reformidas? Quamvis novitius aliquis factor aut tutor optimam de se præbeat spem optimum aliquando artificem futurum, non tamen illi committes, ut vestes aut calceos tibi conficiat, quousque talem qualem sperabas, illum evasisse scias: & vis puero propter solam bonam, quam de illo habes spem, tot animarum millia committere? O infelices animæ quæ in tantam devenissent miseriam, ut vobis vestes & calcei præferantur. Quas Christus Salvator noster tanti fecit, ut pro illis sanguinem fundere non recusaverit, nunc infra vestes & calceos multis Pontificibus æstimatæ sunt. Sed aliam adhuc proferunt non multo meliorem excusationem dicentes, ex Papæ dispensatione puerum institutum esse Episcopum, aut alicujus beneficii curati rectorem, ac proinde omnem scrupuli occasionem esse sublatam. Qualis sit ista excusatio, aut quanti momenti, si ego dixerò, mihi non credent, propterea quod talis non sum, ut virgini in colubrum verterim, aut colubrum in virgam reformaverim, aut aliquod aliud simile doctrinæ meæ signum dederim. Audiant igitur beatum Bernardum, virum & miraculis clarum, & doctrinam referentem, qui lib. 3. de consideratione, ad Eugenium Papam scribens, ait: Non sunt tam rudis, ut ignorem vos posticos dispensatores: sed in adificationem, non in destructionem. (2. Corinth. 10.) Denique quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniantur. (1. Corinth. 4.) Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est, ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est. Utilitas dico, communis, non propria. Nam cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est. Hæc Bernardus. Et in epistola ad Theobaldum Comitum, quæ est in ordine. 271. iterum ait: Offendo proculdubio, si facio quod requiritis. Nam honores & dignitates Ecclesiasticas non ignoro deberi his qui eas digne, aut secundum Deum administrare & velint & possint. Porro eas acquiri parvulo filio vestro præcibus meis

meis vel vestris, nec vobis justum, nec mihi tutum esse noveritis. Hæc Bernardus. Doctrinam autem si quis ab Episcopis & aliis sacerdotibus requirit, pauci sunt qui possint debito & obligationi respondere. Nam & si aliqui sint Episcopi docti, multo tamen plures sunt adeo indocti, ut vix Latine sciant loqui, & (quod multo pejus est) eorum aliqui hæc bene Latine legere noverant. Cujus rei nullum (ut vera loquar) in Hispania, ubi natus sum, exemplum vidi: sed in aliis provinciis, præsertim in illa, quæ se Latine eloquentis parentem gloriatur. Nam in Hispania, procurant id Catholico illius Rege & Christianissimo Imperatore Carolo, nullus hodie extat Episcopus qui non sit vel mediocriter doctus, & multi sunt vere doctissimi: De aliorum sacerdotum ignorantia non est opus longum facere sermonem, cum jam frequenter ubique sint sacerdotes indocti & profus ignorantes, etiam ex his qui animarum susceperunt curam, ut tarus sit & velut gemma quadam existimetur sacerdos doctus, qui animarum curæ interserviat. Tam multus est indoctorum sacerdotum numerus, ut jam possit Ecclesiæ exprobrari, quod Dominus olim per Esaiam Prophetam exprobravit synagoga dicens: (Esa. 56.) Speculatores ejus cæci omnes. Hi qui animarum curam tenent, speculatores populi sunt, qui pro illo (ut ait Paulus Heb. 13.) vigilare debent, tamquam pro re de qua sunt Deo reddituri rationem: Hos tamen omnes dicit fuisse cæcos, hoc est, ignorantes. Quoniam & si aliqui fuissent tunc docti apud Judæos, hi tamen rarissimi erant. Quotus est nunc Episcopus aut sacerdos alius animarum rector, qui juxta Pauli præceptum potens sit exhortari in sana doctrina, & eos qui contradicunt arguere? Quantum autem malum ex hac sacerdotum ignorantia oriatur, vel ex eo constare potest quod Christus Salvator noster ait: (Matth. 15.) Si cæcus caeco ducat caecum, ambo in foveam cadunt. Et beatus Gregorius in primo capite pastoralis exponens illud Psalmistæ: (Psal. 68.) Obscurentur oculi eorum ne videant: & dorsum eorum semper incurva, ait: Oculi quippe sunt, qui in ipsa honoris summi facie positi, providendi titeris curam suscipiunt, quibus hi nimirum qui subsistent, quænter inhærent, dorsa nunguntur. Obscuritatis ergo, oculis dorsum flectitur: quia cum lumen scientiæ perditur, qui præeunt, profecto cuncti ad portanda peccatorum onera curvantur qui sequuntur. Hæc Gregorius. Si ad sacerdotum mores examinandos accedere volumus, plus in eis quod damnemus, quam quod probare possimus, inveniemus. Vix enim aliquid in eis reperietur, quod non longissime distet ab his, quæ illis sunt à jure præcepta. Scio aliquos esse Episcopos & Sacerdotes optimis moribus imbutos, qui juxta humanam fragilitatem ea quæ tenentur, præstare conantur. Sed hi rarissimi sunt & digno à populo monstrati, de quibus præsentem non facimus disputationem: sed de aliis in præsentiarum loquimur, qui ab his moribus, qui sacerdotali dignitati conveniebant, longissime recesserunt: & horum maximus numerus. Quales illi interius sint, Deus novit, qui intuetur eorum corda: nos exteriora judicamus, quæ tam mala sunt, ut nulli homini prudenti, & bene de Christiana religione sentienti, placere possint. Si ex vestibus, quibus induuntur, illos judicare oportet, multos illorum non Sacerdotes, neque Clericos, sed prophanos sæculares, & milites existimabimus. Illorum jumenta tanto excessu ornantur & tanta curiositate componuntur, ut de illis merito jam dici possit, quod Propheta regius de filiabus gentilium dixit: (Psal. 143.) Filie illorum compo-

stite: & circumornate velut similitudo templi. Utinam tanta illis cura esset componendi & ornandi templa, quanta illos vexat sollicitudo ordinandi mulas quibus insidere debent. Tantus est à multis annis eorum in hac re luxus, ut beatus Bernardus exasperatus dixerit illis: Dicit Pontifices in fræno quid faciunt aurum? Apparuit mensæ illorum opulentissimus, convivium nimium excessiva, cum tamen multi pauperes quibus debitores sunt, fame pereant. Venationibus & aucupis multi eorum inserviunt, accipitres alunt, & canes pauperibus desertis nutrant, quæ omnia multi sæculares Domini ob solam Dei timorem facere reformidant, cum tamen non laicis hominibus, sed ipsis Episcopis & Sacerdotibus sint hæc jure prohibita. Ludos multi Sacerdotes publice exercent, & alæ frequentius quam orationi aut lectioni student. Illorum aliqui tam viles sibi sunt, & tam parvam de sua sacerdotali dignitate æstimationem habent, ut non vereantur multi de inferioris ordinis sacerdotibus domibus propriis desertis, tabernas publicas ad computationes exercendas ingredi, & ibidem eum aliis de majori vini haustu contendere, & victoriam ob majorem potum ambire. De castitate illorum non est quod loquamur, cum tam aperta sit omnibus illorum incontinentia, ut si nos velimus tacere, illorum filii clamant. Publicas multi ex illis in magnam Christianæ religionis dedecus reuient concubinas, à quorum amplexibus sæpe ad Eucharistiæ susceptionem, nec homines nec Deum reverentes accedunt. Erunt nihil malitiae aliquibus illorum destitit, ad publica profubita accedere non verentur. Tam frequens est jam sacerdotum incontinentia, & tam publica, ut si quis illorum castus esse sciatur, quamvis multa alia necessaria illi desint, ob hoc solum sanctus à populo censetur. Hæc autem omnia vitia arguunt illos, qui talia agunt indignos esse honore sacerdotali. Nec soli sæculares Sacerdotes sed etiam monachi qui multo arctiori obligatione ad virtutem tenentur, à suo instituto longissime absunt. Multi enim illorum adeo à patribus à quibus instituti sunt degeneraverunt, ut fere nihil quod suæ respondeat professioni habeant, præter exteriores vestes, quibus à cæteris discernantur. In his autem necessarium est evenire, quod Augustinus ait, nullos videlicet pejores esse quam qui in religione desecerunt. Et re vera (ut ingenue loquar) quamvis multi ex monachis hodie sint, qui sui instituti regulam quam promiserunt, observent, rari tamen ex illis sunt qui non declinaverunt ab eo perfectionis culmine, in quo patres illorum fuerunt. Ex hac omnium sacerdotum indignitate, tamquam ex potentissima malorum causa, multa mala insuper & hæreses, olim orta sunt, & nunc pro dolor, quotidie oriuntur & nutriuntur. Nam hoc aperte nos docuit Deus per Hieremiam Prophetam, (cap. 1.) dicens: Quia stulte egerunt pastores, & dominum non quaesierunt, propterea non intellexerunt, & omnis grex eorum dispersus est. Super quem locum Hieronymus hæc, quæ sequuntur, ait: Per transgressionem pastorum aque ovium, Principum culpa & dispersio populi describitur. Quia enim Principes stulte egerunt, nec quaesierunt dominum, quem toto debuerunt corde perquirere, id circo & mala venientia non viderunt, sive non intellexerunt dominum, & omnis multitudo Hierusalem huc illucque dispersa est. Hæc Hieronymus. Et iterum eandem sententiam aperius per Ezechielem Prophetam Deus docet sic dicens: (cap. 44.) Facti sunt domus Israel in offendiculum iniquitatis. Quæ verba exponens beatus Gregorius lib. 1. pastoralis cap. 2. sic ait: Nemo quippe amplius in Ecclesiâ nocet quam qui

prædicanda, quæ ille intelligere non potest. Et inde apertissime convincitur sacram scripturam non esse populo rudi, ut ab eo legatur, tradendam. Nihil enim refert verbo, an scripto aliquid tradatur, si neutro modo illud intelligere valet. Si populo rudi non est tradendum verbum id, quod audirum, intelligere non poterit, consequens est, ut eodem populo non sit scriptura illa sacra tradenda, quam certum est illum intelligere non posse. Et certe hæc collectio, & argumentatio adeo (mea sententia) urget, ut non sit, quod vere illi responderi possit. Nullum enim potest inter verbum & scripturam dari verum & evidens discrimen, per quod innoscat malum esse, ut verbum obscurum & difficile intellectu populo prædicetur; & è contrario bonum esse, ut scriptura, obscura, & intellectu difficillima eidem populo legenda tradatur. Et hæc ratio ipsomet Lectoris cogit, ut si idiotæ sunt, abstineant à lectione librorum sacre scripturæ, quos intelligere non possunt. Nam hoc ipsum, si recte illi intelligere volunt, illis præcipit B. Petrus 1. 2. dicens, ut rebus intellectus facillimis sint contenti. *Sicut modo geniti infantes* (inquit ille) *rationales, & sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem.* Nomine lactis clarum & intellectu facilem doctrinam, sive illa verbo, sive per scripturam tradatur, significavit, & hanc solum concupiscere, rudibus, & incipientibus præcepit Petrus, ut per illam crescere possint ad salutem. Ut enim doctrina aliqua nomine lactis significetur, nihil refert, an illa scripta sit, an prolata; sed hoc solum considerandum est, an illa sit facilis, an difficilis intellectu. Sacra igitur scriptura in illis locis, ubi difficulter intelligitur, non lac, sed solidus cibus censei debet; & inde sequitur, ut idiotæ, qui illam legere contendunt, contra præceptum B. Petri agant, qui præcipit illis, ut sint lacte contenti, & fortiores non appetant cibos. Nam dicens illis, ut lac concupiscant, hoc ipso videtur illis præcipere, ut ab aliis solidis cibis abstineant, quoniam (ut Paulus ait (Hebr. 5.) *omnis, qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ, parvulus enim est. Perfectorum autem est solidus cibus eorum, qui pro habitu, & consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali.* Quæ Pauli verba de lectione librorum sacre scripturæ esse intelligenda, docet Theophylactus. qui illa in commentariis super Paulum exponens, hæc ait: *Ut enim est moribus quietus & habitu stabilis, sic & animi sensus habet in lacris litteris exercitatos, ita ut dogmatum celsitudinem, & humilitatem discernere, & sana à corruptis, dijudicare. Non enim de vita hoc loco disserit. Nam bona discernere quisque valet, novitque malam esse, nequiam, probam vero virtutem. Adverte autem quemadmodum exercitatione, & experientia scripturarum sit opus, si nobis, quæ hæresim sapiant, & quæ minus, sunt differenda. Neque enim omnibus adhibenda sunt aures, guttur enim cibos degustat; anima vero probat sermones.* Hæc Theophylactus. Est adhuc aliud in verbis Petri consideratione dignum, ubi causam reddens, propter quam imperfecti, & infirmi debent, sicut modo geniti infantes, lac concupiscere. *Ut in eo crescatis* (inquit ille) *in salutem.* Quibus verbis aperte innuit solidum cibum non in salutem, sed in ægitudinem modo genitis infantibus dari. Ex quibus aperte convincitur, eos, qui sacram scripturam in linguam vulgarem translataam populo rudi legendam tradunt, non prospicere saluti animarum populi, sed illarum potius ægitudinem procurare, quia tradunt illis cibum, qui illarum exuperat vires. Accedit ad hæc omnia quadam Ecclesiæ prohibitio, qua laicis

hominibus interdicitur, ne de fide Catholica quomodolibet disputare audeant. Nam in cap. Quicumque, §. inhihemus, de hæret. lib. 6. Alexander Papa sub excommunicationis poena prohibet omnibus personis laicis, ne publice, aut privatim de fide Catholica disputare audeant. Et merito quidem hoc inhibuit summus Pontifex, quia perpendit quanti periculi res sit, talem disputationem laicis personis sine ullo discrimine permittere. Nam licet sint alii qui laici viri docti, qui bene, & sine fidei periculo possint cum hæreticis disputare, jura tamen, & decreta numquam de his, quæ raro contingunt, sed semper de his quæ frequentius eveniunt, disponunt. Raro autem contingit, ut viri laici sint de altioribus fidei mysteriis plene edocti, & ad disputandum de illis differti, & ideo ne laici indocti in disputatione succumbentes, sibi ruinæ occasionem assumerent, aut aliis audientibus præberent, merito illis omnibus fuit talis disputationis interdicitur. Ut autem hoc tam sanctum, & pium decretum id, quod intendit, efficere valeat, opus est, ut à laicis idiotis sacra auferatur scriptura, ne eam legentes, de secretioribus fidei mysteriis cum magno religionis periculo eorum quilibet audeat disputare. Qui enim aliquid suis subditis prohibet, nisi illis laqueum parare velit, oportet, ut id eam prohibeat, quod magnam præbet agendi prohibitum occasionem. Quanta autem laicis indoctis disputandi de fide præsterat occasio, cum illis in linguam vulgarem translata traditur sacra scriptura, ipsa rerum experientia apertissime docet. Nam in illis Provinciis, in quibus sacra scriptura in linguam vulgarem translata passim omnibus laicis legenda conceditur, ut sunt Gallia, Germania, Italia, non solum indoctissimi viri, sed etiam scemina passim de fide Catholica disputant, & cum doctissimis viris de secretioribus fidei mysteriis contendere non verentur. Quam perversitatem summopere reprehendit Hieronymus in epist. ad Paulinum, quæ est de omnibus sacre scripturæ libris, sic dicens: *Quod medicorum est, promittunt medici, tractant fabrilis fabri. Sola scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vendicant. Scribimus indocti, doctique poemata passim. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi præsumunt, jacerant, docent, antequam discant.* Alii adducto supercilio grandia verba trutinantes, inter mulierculas de sacris litteris philosophantur. Alii discunt, pro pudor! à feminis, quod viros doceant. Et ne parum hoc sit, quadam facilitate verborum, immo audacia edisserunt aliis quod ipsi non intelligunt. Hæc ille. Et certe id quod Hieronymus suo tempore fieri testatur, & dolet, in multis Provinciis (ut diximus) nunc fieri videmus. Qui abusus nisi citissime ab illis Provinciis tollatur, non dubito, quin ille magnum fidei Catholice dispendium sit præfatis Provinciis allaturus, præsertim cum jam tam magna hujus rei initia in his Provinciis videamus, ut jam quasi oriri videamus id malum, quod nunc prædiximus, & timeamus. Est adhuc alia urgentissima ratio, quæ Ecclesiæ Præsules cogere deberet, ut translationem sacre scripturæ in linguam vulgarem nullo modo facere, aut jam factam vulgari permitterent, ipsius videlicet sacre scripturæ reverentia, & æstimatione, quam quotidie minui, si passim omnibus legenda tradatur, nemo est qui dubitet. Nihil enim est, quod magis alicujus rei pretium, & æstimationem augeat, quam illius raritas, & occultatio; & nihil è contrario magis illa omnia minuit, quam ejusdem rei multitudo, & nimia illius manifestatio. Et hæc est causa (ut omnes sacri Doctores docent) propter quam Deus veteris legis cære-

monialia mysteria occulta populo esse voluit, & non passim omnibus manifestati, ne ex facili eorum conspectu omnibus vilescerent. (Num. 4.) Nam ea, quæ in tabernaculo foderis erant, cum castra movebantur, ab Aaron, & ab his qui in tabernaculo serviebant, involvabantur, nec videbantur à populo, nec ab his etiam, qui in propriis humeris deferebant. Obvelandi necessitas tunc erat non modica, metus videlicet mortis. Si tanta reverentia tunc est adhibita umbræ, multo magis eam decet exhibere corpori, ut sacra scriptura, in qua multo apertius, quam illis cæremoniis nostræ fidei secretiora mysteria continentur, non passim toti populo legenda tradatur. Alioquin ipsa scriptura, quæ esset in maximo pretio ab omnibus habenda, cito erit in contemptum, & vilipendium. Propter hanc causam Gregorius septimus, hujus nominis Pontifex, scribens Vratislavo Bohemorum duci (tunc enim Bohemia non Regem, ut nunc, sed ducem habebat) in quadam epistola, quæ est in lib. 6. epistolarum suarum, noluit illi concedere, ut divinum officium posset in lingua slavonica celebrari. Sic enim post aliqua præfatus Gregorius in illa epistola ait: *Quia vero nobilitas tua postulavit, quo fecundum Slavonicam linguam apud vos divinum celebrare annueremus officium, scias nos huic petitioni tuæ nequaquam posse favere. Et hoc nempe sæpe volentibus Deo non immerito sacram scripturam omnipotente Deo placuisse quibusdam locis esse occultam, ne si ad liquidum cunctis pateret, forte vilesceret, & subiaceret despectui, aut prave intellecta à mediocribus in errorem induceret. Neque enim ad excusationem juvat, quod quidam religiosi viri, hoc quod simpliciter populus quaerit, patienter tulerunt, seu incorrectum dimiserunt, cum primitiva Ecclesia multa dissimulaverit, quæ à sanctis Patribus postmodum, firmata charitate, & religione crescente, subtili examinatione correctæ sunt. Unde de ne id fiat quod à vestris imprudenter exposcitur, auctoritate beati Petri inhibemus, teque ad honorem omnipotentis Dei huic vanæ temeritati vitibus omnibus resistere præcipimus.* Hæc Gregorius septimus. Qui etsi de officio divino tantummodo loquatur expresse, idem tamen de alio scripturis divinis esse dicendum, satis innuit aperte. Et certe necessarium est, ut idem sit de utroque dicendum: quoniam major pars eorum, quæ in divino officio dicuntur, ex sacris codicibus sumpta est; reliqua autem, quæ inde non sumuntur, etsi sancta sint, & debite reverentia, non sunt tamen majori reverentia habenda, quam illa quæ à sacra scriptura assumpta sunt. Et inde apertissime convincitur, ut si sacra scriptura in linguam vulgarem sit translata, eadem etiam ratione officium dicendum sit in lingua vulgari celebrandum. Et si hoc de officio divino denegatur, prout Gregorius septimus denegat, consequens est, ut idem etiam sit de sacra scriptura denegandum. Quoniam non minoris æstimationis & pretii est sacra scriptura, quam ea omnia quæ in officio divino dicuntur; & ideo non minor sacre scripturæ, quam officio divino est reverentia exhibenda, ut non in ea lingua tradatur in qua passim possit ab omnibus sine ullo discrimine legi. Et certe valde timendum est, ne si sacra scriptura in linguam vulgarem translata populo rudi tradatur legenda, populus inde insolentior factus, petat Missam, & reliqua officia divina in lingua vulgari celebrari, prout nunc apud Lutheranos in Germania fieri solemus. Quod si eis concederetur, in magnum cederet, haud dubie, totius Christianæ religionis contemptum. Præterea, Innocentius Pontifex hujus nominis tertius, in quadam epistola quam

scripsit universis Christianis fidelibus, tam in urbe Metensi, quam in ejus diocesi constitutis, qui scripturam sacram in Gallicum sermonem sibi transferri fecerant, & ob hanc causam conventicula occulta faciebant, in quibus homines vulgares eam interpretabantur, & docebant, postquam illos de præfatis oculis conventiculis reprehendit, & aliqua scripturæ sacre aperta & clara illis permittritur, hæc quæ sequuntur, ait: *Arcana vero fidei sacramenta non sunt passim omnibus exponenda, cum non passim ab omnibus possint intelligi, sed eis tantum qui ea fideliter possunt concipere intellectu. Propter quod simplicioribus inquit Apostolus (1. Cor. 3.) Quasi parvulis in Christo lac potum dedi vobis, non escam. Majorum enim est solidus cibus, sicut aliis ipse dicebat. Sapientiam loquimur inter perfectos; inter vos autem nihil judicavi me scire, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum. (1. Cor. 2.) Tanta est enim divinæ scripturæ profunditas, ut non solum simplices & illiterati, sed etiam prudentes & docti non plene sufficiant ad ipsius intelligentiam indagandam. Propter quod dicit scriptura. (Psal. 63.) Quia multi descenderunt scrutantes scrutinium. Unde recte fuit olim in lege divina statutum, ut bestia quæ montem tetigisset, lapidaretur, ne videlicet simplex aliquis & indoctus præsumat ad sublimitatem sacre scripturæ pertingere, vel eam aliis prædicare. Scriptum est enim (Eccle. 3.) *Altiora te ne quaesieris.* Propter quod dicit Apostolus (Rom. 12.) *Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Hæc Innocentius tertius. Qui apertissime docet, non esse laicis & idiotis hujus scripturæ sacre tradendam, quam illi possint intelligere. Denique cum Erasmus Roterodamus contrarium huic sententiæ sæpe docuisset, facultas Theologie Universitatis Parisiensis illum in hac parte errasse per publicas censuras declaravit. Erasmus siquidem in quadam præfatione super Matthæum dicit hæc verba: Sacras litteras cupiam in omnes verti linguas. De qua assertionem Universitatis Parisiensis suam dedit censuram per hæc verba: Quamvis in quacunque linguam vertantur sacre litteræ, suapte natura sanctæ sunt & bonæ; quanti tamen sit periculi permittere passim lectionem earum in linguam vulgarem traducturam absque ulla explicatione idiotis & simplicibus eis abutentibus, nec eas pie & humiliter legentibus, quales plurimi nunc reperiuntur, satis indicantur Valentes, Albigenes, Turres lupini, qui inde occasione sumpta, multos errores disseminaverunt. Quare hac tempestate perspecta, hominum malitia, periculosa ac perniciofosa existit modum traductio, loquendo de omnibus scripturæ libris indifferenter. Nec sicubi paucis esset utilis, propterea temere esset omnibus permittenda. In re namque ad salutem non necessaria, potius consulendum est multorum profectui ipsam interdicens, quam paucorum utilitati eam permittendo cum gravi multitudinis incommodo. Unde & jure damnata est hujusmodi translatio. Hæc tamen censura Parisiensis. Deinde in eadem præfatione in Matthæum, hæc addidit propositionem Erasmus. Exclamant indignum facinus, si mulier vel corarius loquatur de sacris litteris. De hac etiam propositione suam dedit censuram Universitatis Parisiensis, sic dicens: Recte perpensa multorum hujus temporis impudenti temeritate, indignum facinus existimandum est, quod idiotæ & simplices suo judicio sacras litteras legant in suam linguam conversas, & de illis differant, ad discipulantes de earum facultatibus tractent. Nec tamen prohibetur per hoc eis consentire inter se de his quæ in concionibus publicis audierunt ad morum correctionem, & ad com-*

habet, aliquid devorare possit? Paulum etiam necessario dicit mendacem, qui ait, Spiritum Sanctum postulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus. (Rom. 8.) Si Spiritus Sanctus gemitu nequit, quomodo poterit gemitibus inenarrabilibus postulare? Vulgaris itaque homo illud legens, & minime intelligens, aut Paulum errasse dicit, aut male de Spiritu Sancto censebit, putans illum gemitu, aut quomodolibet tritari. Sunt alia multa, & frequentissima figura in sacris litteris, pro quarum declaratione extat libellus Bedæ, qui scribitur de Schematibus, & Tropis sacra scriptura. Sunt præterea multa in sacris codicibus, quæ minima juxta solam litteræ superficie sunt capienda, sed juxta mysticum sensum sub eadem latenter sunt interpretanda. De his dicit Paulus: (2. Cor. 3.) *Idoneos nos fecit ministros, novi testamenti, non litteræ, sed spiritus, littera enim occidit, spiritus est qui vivificat.* Si hæc omnia quis velit, juxta litteram, & non juxta mysterium, reconditum interpretari, non est dubium illum in multas hæreses labi. Talia sunt multa quæ de Christo Propheta prædixerunt. Tale est illud, quod Jacob Patriarcha de Christi passione propheticè spiritu prædixit: (Gen. 49.) *Lavabit in vino solum suum, et in sanguine voca pallium suum.* Et illud apud Esaiam, cap. 9. *Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis: super solum David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, et corroboret in iudicio, et iustitia, a modo, et usque in sempiternum, et regni ejus non erit finis.* Cum dominus Jacob æterna non sit, sed temporalis, dubitare quis merito poterit, quomodo Christus in illa sit regnaturus in æternum, præsertim cum ipse Christus postea dixerit regnum suum non esse ex hoc mundo. Sunt alia multa ejusdem notæ, quæ si juxta solam litteram intelligantur, non est dubium multas inde nasci hæreses, ut pura de regno Christi in hoc mundo, de hujus regni perpetuitate. Et non est etiam dubium, quin vulgus indoctus propterea quod mysteria penetrare nescit, omnia hæc putet esse juxta nudam litteram intelligenda, ob quam causam necesse est, ut in multos incidat inextricabiles errores. Rursum, sæpissime contingit in sacris litteris subita, sine ulla expressione, unius personæ in aliam personam mutatio, ita ut modo de Christo, qui caput est corporis mystici, loquatur scriptura, & statim sine ulla personæ expressione loquatur de corpore ejus, quod est Ecclesia, aut de particularibus illius membris, quæ sunt omnes fideles. Quæ omnia si quis eidem tribuere velit, ut puta omnia capiti, aut omnia corpori, aut membris accommodare, sæpe sine manifesta hæresi id facere non potest: quia sæpe ea quæ capiti conveniunt, repugnant corpori, & membris ejus, & quæ ceterorum membrorum sunt propria, sæpe non possunt capiti convenire. Talia sunt quæ Oseas Propheta de Christo loquens, ait: *Puer Israel, et dilexit eum, et ex Ægypto vocavit filium meum. Vocaverunt eos, sicut abierunt à facie eorum, Baalim immolabant, et simulacris sacrificabant.* Primam horum verborum partem de Christo esse intelligendam, testatur Matthæus, cap. 2. qui illum exponit de Christo ab Ægypto in Judæam revertente. Reliqua tamen quamvis sub nomine ejusdem populi Israelitici dicta sunt, non possunt Christo convenire, sed soli corpori illius, si ve vero, si ve ficto, hoc est, Ecclesiæ permixtæ quæ bonos, malosque intra se continet. Certum est vulgarem hominem non posse discernere diversitatem personarum, de quibus quasi de una illa litteræ contextus loquitur: sed omnia eidem personæ accommodabit, præ-

sertim in Psalmo 21. qui totus est Christo tribuendus, & fere nulla est in illo pars, quæ possit eidem Psalmistæ competere. Et Esaias Propheta, cap. 61. de Christo loquens sub nomine suo. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me. Ad annuntiandum in sanctis misit me, ut morderet contritis corde.* Et alia multa ibi Esaias nomine suo dicit, quæ tamen non sibi, sed Christo convenire possunt. Nam (ut Lucas refert cap. 4.) Christus Salvator noster illa Esaiæ verba in seipso adimpleta esse docuit. Vulgaris tamen homo, & idiota hæc legens, putabit illa non de Christo, sed de eodem Propheta, qui nomine suo illa dixit, esse intelligenda, & sic in perniciosissimas incidet hæreses. Omitto alia multa necessaria ad sacra scriptura intelligentiam, de quibus beatus Augustinus in libris de Doctrina Christianam longam facit disputationem, & ea omnia non possent in hoc capite comprehendere. Quæ omnia quum populus ignoret, necessarium est ut in mille locis erret, & perperam scripturam sacram intelligens. Sunt præter hæc omnia parabolæ frequentissimæ in sacris litteris, quarum intelligentia (ut beatus Thomas, & alii doctores Theologi docent) non ex prima vocum significatione petenda est, sed ex significatione rerum per voces illas signatarum, hoc est, per similitudinem unius rei ad alteram. Certum est populum hæc non posse adaptare similitudines, & ignorare alteram primam vocum significationem. Unde necessarium est venire, ut nesciat parabolas intelligere, immo ut nesciat inter parabolas, & apertas eloquutiones distinguere: Quod fiet necessario, ut quæ parabolice dicta sunt, simpliciter, & juxta primam vocum significationem putet esse intelligenda. Quæ res quot, quantaque hæreses gignere possit, prudenti lectori considerandum committo. Quid dicam de multis scriptura locis, qui sibi invicem repugnare videntur, in quibus conciliandis doctissimo, atque diligente, & peracuto est opus interprete? Horum facilem contrapugnantiam, cum vulgaris, & idiota legerit, nesciens illa in concordiam redigere, cogetur, aut mendacium ad sacras litteras admittere, aut alterum illorum locorum à sacris codicibus relegare, dicens, illa verba non pertinere ad sacram scripturam. Quorum neutrum potest quis sine manifesta hæresi nota efficere. Denique quia beatus Hieronymus tam multas intellexit esse difficultates circa intelligentiam sacrarum scripturarum: ideo in Epistola quadam ad Paulinum, quæ est de omnibus sacra scripturae libris, post multa, quæ illic de hac re dixerat, tandem propositum concludens, sic ait: *Hæc à me perstricta sunt breviter (neque enim epistolæ angustia evagari longius patiebatur (ut intellexeris te in scripturis sacris sine prævio, & monstrante, te semitam non posse ingredi. Hæc ille. Et certe ex ipsamet scriptura sacra constat fuisse olim speciales aliquos ejusdem scripturae interpretes, quorum manus erat sacras litteras interpretari. Nam Paulus dicit, (Act. 22.) se legem dedidisse ad pedes Gamalielis, (2. Tim. 3.) quod ab infanti litteras sacras dedidisset. Ex his omnibus apertissime constat, longissime Lutherum aberrasse à veritate, dicentem scripturam sacram esse facillimam intellectu, ut à quovis vulgari homine possit intelligi. Non potest enim vere aliquid facile dici, ad quod assequendum multa difficulta sunt necessaria: præterea, ipsemet Lutherus vellet, nollet, fateri debet se pluribus deceptum fuisse, in interpretatione sacrarum litterarum, quoniam sæpe circa fidei, & morum dogmata mutavit sententiam, nunc aliquam probans sententiam, nunc*

nunc eandem rejiciens, & illius contradictoriam admittens. Idem etiam Erasmo Roterodamo contigisse constat, qui tamen etiam cum Luthero sentit sacras litteras esse in linguam vulgarem verendas. Hic enim sæpe sententiam suam mutavit in annotationibus super novum testamentum in posterioribus editionibus recitans, quæ in priori docuerat. Consequens igitur est, ut toties uterque istorum fateatur se fuisse deceptum, quoties ab una aliqua in operam, & illi repugnantem transit sententia. Si scriptura sacra facillima erat intellectu (ut Lutherus & Erasmus dicunt) interrogare illos oportet quo pacto in re facillima erraverunt. Non credo aliud ab eis responderi posse, quam quod sic excecati tunc erant, ut res apertissimas videre non possent. Et sic etiam credo illos tunc excecatos fuisse quando dixerunt scripturam sacram esse adeo facilem, ut à nullo non posset intelligi.

De Erasmo tamen valde miror, quod sit in hac parte tam parum sibi constans, ut secum apertissime pugnet. Nam in suo Ecclesiaste, si ve de ratione concionandi lib. 3. dicit sacra scripturam multis in locis esse obscuram, & causas obscuritatis ostendit multas. Ut autem mens illius omnibus sit nota, verba quæ illo loco dicit, hic citare volui, & sunt quæ sequuntur: Sunt qui fortiter negant in canonicis libris ullam esse obscuritatem, modo adit peritiam sermonis, & sensus communis. Quorum opinioni hæcenus certe faveo, ut optatim esse verissimam, sed una voce reclamant omnes Ecclesiæ Doctores, & in his ii quoque qui nec linguarum peritia, nec communi sensu caruerunt. Hæc Erasmus, qui continuo post hæc verba varias obscuritatis causas manifestat. Si scriptura sacra multis in locis est obscura, non igitur expedit illam in linguam vulgarem transferri, ut populo rudi & temerario legenda tradatur, qui illam pro suo arbitrio interpretetur, & sic necessario intelligendam esse contendat. Rursum doctissimi viri sæpe circa scripturae sacra interpretationem errant, ut illorum tam multa inter se dissonanæ apertissime convincunt. Nam cum illi circa sacra scripturae intelligentiam pugnant, sæpe & irreconciliabiles ferant sententias, eorum alterum errare est necesse. Si illi doctissimi viri, quos Deus introduxit in cellaria sua, post longam, & diuturnam examinationem, post ferventem, & prolixam orationem erraverunt in multis, qui fieri potest, ut vulgus indoctum carni & sanguini deditum, multisque sæpe vitiiis mancipatum, sine ulla examinatione passim non erret in mille. Si tam facile potest vulgaris homo, & idiota errare in interpretatione sacra scripturae, & ex falsa illius intelligentia (ut ex testimoniis Hilarii, & Augustini supra citatis constat) hæreses oriuntur, apertissime convincitur translationem sacrae scripturae in linguam vulgarem maxime præbere idiotis hominibus hæresum occasionem. Nam illi legentes, quæ minime intelligere possunt, pro suo arbitrio, & non juxta regulas sanctorum Doctorum, quod nunquam legerunt, scripturam sacram interpretantur, & sic in mille incident errores. Et pro hac re plura, quam vellemus, habemus exempla multarum videlicet hæresum, quæ ab hominibus idiotis suscitatae sunt, propterea quod sacras litteras translatis in linguam vulgarem legerunt, & non intellexerunt. Et quibus aliquas in medium proferam, quarum testimonia satis erunt ad rem hanc comprobendam. Albigenses hæresis surrexerunt olim tempore Innocentii Papæ hujus nominis tertii, multis, & nefandis impliciti erroribus. Sunt autem sic appellati, quia ex comitatu Albigensium prope Tolosam in Gallia orti sunt, qui hos errores suscitaverunt. Hi omnes fuerunt idiotæ, & quia legebant

que non intelligebant, & illius plurimos execrandos errores lapsi sunt. Post istos, paucis aliquot transactis annis, surrexerunt etiam in Gallia pauperes de Lugduno, à quibus major harum hæresum pars, quæ nunc Ecclesiam oppugnant, originem traxit. Nam Valdo illorum Princeps, à quo nomen sortiti Waldenses etiam dicti sunt, omnibus suis bonis divitiis, paupertatem plus justo dilexit, & quia idiota erat, aliquos libros tum sacros, tum etiam ex aliis in linguam vulgarem sibi fecit transferri, quos legens, & non intelligens, in peccatissimos lapsus est errores, quos postea Viclephitæ, & deinde Hussitæ tuant sunt, & nunc tandem Lutherani tutantur. Post istos eodem fere sæculo Begardi, & Beguinae homines omnes idiotæ orti sunt, quorum octo hæreses in Concilio Viennensi sub Clemente quinto damnatae sunt. Deinde successerunt in Bohemia Thaboritarum, & Orebitarum, & Adamarum hæreses perniciosissime, quarum omnium historiam enarrae Æneas Sylvius in lib. de orig. Bohem. dicitque illarum auctores, & tutores fuisse homines idiotas, quamquam non dicit illos habuisse litteras sacras in linguam vulgarem translatas, tamen verisimile est illas habuisse, quoniam alias non patet via quomodo homines idiotæ illas suscitare potuissent, aut quomodo illas jam ortas tot homines suscepissent. Tandem Lutherorum hæresis, & si non fuerit ab hac causa orta, constat tamen per illam fuisse dilata, & vires majores, ut populum perderet, inde fumpisse. Nam populus legens in sacris codicibus Germanicæ lingue redditis, ea testimonia quibus Lutherus suas hæreses probare contendit, facile persuasus est, ut Luthero consentiret. Deinde ex consona omnium sacrarum Doctorum sententia docemur, non esse populo rudi tradenda ea mysteria alta, & profunda, quæ ille intelligere non potest, ne hac occasione labatur in errorem, sed juxta capacitatem audientium temperandum esse sermonem. Nam Paulus Corinthiis scribens cap. 3. ait: *Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tamquam parvulis in Christo lac vobis in potum dedi non escam. Nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis, adhuc enim carnales estis.* Quæ verba interpretans Anselmus in commentariis super epistolas Pauli, ait: *Non enim audientium animi sunt ultra vires tradendi, sed alta quæque & eminentia, debent multis auditoribus contegi, & vix paucis aperiri, & in cohabitantibus quidem, vel infirmis non alta, & mystica, sed quedam quæ capere possint, prædicanda sunt; perfectis vero profunda, & mystica sunt dicenda.* Hæc Anselmus. Et beatus Chryllostomus homilia 51. super Matth. ait: *Sicut infantibus esca mutatur secundum ætatem, sic in populo secundum virtutum doctrinam temperatur.* Hæc ille. Et Origenes homilia 25. super lib. Numer. ait: *Sicut in nutrimento corporis multas paulo ante dedimus differentias, ita & natura rationalis, quæ ratione, & verbo Dei (ut diximus) pascitur, non omnibus, uno, atque eodem nutritur. Unde ad similitudinem corporalis exempli est aliquibus in verbo Dei cibis lactis, apertior scilicet, & simplicior doctrina, ut de moralibus esse solet, quæ præberi consuevit iis, qui iuvia habent, in divinis studiis, & prima eruditionis rationalis rudimenta suscipiunt.* Hæc Origenes. Idem etiam docet multo apertius, atque uberius B. Gregorius in moralibus, exponens illud Job cap. 20: *Qui ligat aquas in nubibus suis, ut non evumpant pariter deorsum.* Quæ Gregorii verba, quia superius cap. 3. hujus libri à nobis citata sunt, ideo nunc repetere non fuit opus. Ex his omnibus testimoniis colligimus populo rudi non esse alta, & profunda mysteria

perversè agens nomen vel ordinem sanctuaris habet. Delinquentem namque hunc nemo redarguere presumat, & in exemplum culpa vehementer extenditur. Hæc Gregorius reverentia ordinis, peccator honoratur. Hæc quando pro reverentia ordinis, peccator honoratur, que ad mores pertinent, sed etiam hæresum multarum fuit causa, malitia & indignitas sacerdotum. Nam Hussitarum hæresis initia enarrans Aneas Sylvius libro de origine Bohemorum, cap. 35. ait: Sequebantur Joannem Hus clerici fere omnes, are alieno gravati, sceleribus ac seditionibus insignes, qui rerum novitate evadere pœnas arbitrabantur. His & nonnulli doctrina celebres juncti erant, qui cum in Ecclesia consequi dignitatem non potuissent, iniquo animo ferebant sacerdotia, majorum censuram his committi, qui quamvis nobilitate prærent, scientia tamen viderentur inferiores. Et cap. 36. referens ea que cum Joanne Hus & Hieronymo de Praga Bohemis, in Constantiensi Concilio acta sunt, ait: Steretereis proposito pertinaces Bohemorum animi, neque victi rationibus, vinci voluerunt. Se veraces, se sancti Evangelii æmulatores, se Christi discipulos esse. Romanam Ecclesiam, cæteraque per orbem dispersas, longe à traditionibus Apostolorum abfisse, que opes ac delicias sectarentur, domitium in populos, & primos in conviviis accubitus exquirent, canes, equos alerent. Ecclesiarum bona que Christi pauperibus deberentur, per lasciviam luxumque consumerent: aut necesse profus divina mandata, aut, scientes contemnere. Hæc Bohemos dixisse, & in illis ad ignem usque perseverasse refert Aneas Sylvius. Ex quibus satis aperte constat, malos sacerdotum mores Hussitis ansam hæresis præbuisse, qua ab obedientia Romani Pontificis decesserunt. Idem hoc nostro sæculo Lutherani contingit, quorum hæreses, indignitas, & scelerata sacerdotum vita tamquam prima mater genuit, & nunc tamquam nutritrix eas alit, fovet, & nutrit. Videntes enim nimiam sacerdotum multitudinem, illorum indignitatem, sceleratamque illorum vitam, in Sacerdotes, & Episcopos, & in Romanum, hoc est supremum totius Ecclesiæ Pontificem, debacchari ceperunt, & quod in personas juste forte dicere potuissent, in ipsam sacerdotalem dignitatem, & in Hierarchicos illius ordines retorserunt. Tamquam si persone indignitas & vita quamlibet scelerata vel tantillum posset detrahere sacerdotali dignitati, aut cuivis alteri potestati. Si illi recte sapuissent, pro personarum emendatione, & morum reformatione labore debuissent, non in universum pontificiam tollere dignitatem. Male quidem mederunt qui jugulant. Alioqui, si hæc illis sana videntur remedia, tollant eadem ratione matrimonium, quia multi conjuges fidem matrimonii non servant. Tollant omnes rerum publicarum ministros & rectores, quia multi ex illis ministerium suum injuste exercent. Tollant denique factores, futuros, metallarios, aurifabros, latomos, & reliquos omnes artifices, propterea quod multi ex illis mille faciunt fraudes, milloque confingunt sæpe mendacia. Si has artes profus tollere non licet, quamvis illarum artifices injuste eas exercent, multo minus decebat propter Sacerdotum aut Pontificum indignitatem & quamlibet sceleratam illorum vitam, dignitatem Pontificiam profus abrogare, præsertim cum non ab hominibus, sed à Deo illa instituta sit, ac proinde non ex hominum arbitrio, sed ex Dei voluntate pendeat. Sed te vera odio & invidia Episcoporum, præsertim Romani Pontificis ducti, excæcati sunt ut rem non intelligerent: nec modo, etiam si veritas illis aperitissime ostendatur,

intelligant. Nam si quid illis pro Summi Pontificis, aut aliorum Episcoporum auctoritate objicitur, cum nesciant quid vere respondere possint, statim clamant: Videte Pontificis exactiones, considerate Episcoporum mores. Expertus quidem loquor, & non quæ ex aliorum relatu didici, sed quæ propriis oculis vidi, & auribus meis audivi refero. Et certe difficile est, nisi Deus ipse custodiat, tanta Sacerdotum indignitate, & tam scelerata illorum vita existente, Christianam Religionem esse ubique integram. Nam divina lex, & religio, verusque Deicultus, habent quandam cum Sacerdotibus connexionem, quæ ex Pauli testimonio facile convinci potest, qui ait: (Heb. 7.) *Translatio sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat.* Si sacerdotium & lex non essent sibi invicem connexa, quæ obsecro esset hæc Pauli collectio, ex translatione sacerdotii legis translationem infetere? Sed quia Paulus censuit, non posse sacerdotium esse sine lege, nec legem sine sacerdotio, ita ut cuique sacerdotio sua respondeat lex, & religio, & cuique legi, sive religioni suam conveniat sacerdotium, ideo vitium est illi ex translatione sacerdotii, optime posse colligi translationem legis. Si hæc duo tam connexa, & à se invicem dependentia sunt, eadem ratione, & consequentia, ex contemptu, & vilipensione sacerdotii, necessario sequetur legis, & religionis contemptus. Nam apud omnes orbis terrarum nationes, apud quas aliqua, aut vera, aut falsa umquam religio viguit, tanta fuit semper sacerdoti dignitas, tantaque apud populum Sacerdotum æstimatio, & reverentia, quanta ipsius religionis fuit dignitas, æstimatio, atque reverentia, & è contrario. Non est igitur mirum, si his sæculis, in quibus Christianæ Religionis sacerdotium est neglectum, & tam parum æstimatum, ut omnibus passim sine ulla justis meritis conferatur, etiam divina lex, divinique cultus, ipsa denique tota Christiana Religio contemnatur, pessimumque eat. Cum igitur hanc omnium præsentis sæculi hæresum potissimam esse radicem, confiteri, qui quis hæresibus occurrere, & illas profus tollere optat, summe pro viribus suis laborare debet, ut hæc pessima radix evellatur, & sacerdotium suæ dignitati restituatur. Hoc autem facile fiet, si primum tollantur causæ à quibus totus hic sacerdotum contemptus est ortus. Notissimum est sacerdotum contemptum ex nimia illorum multitudine primum, deinde ex ignorantia, postremo ex scelerata illorum vita esse ortum. Nimia siquidem cujuslibet rei multitudine contemptum vilipensionemque parit: quemadmodum è contrario, cujuslibet rei raritas præmiationemque gignit. Deinde Sacerdotum contemptum auxit magna illorum indignitas multis nominibus manifestata. Quoniam multi propter ætatis defectum, alii ob imprudentiam, alii ob ignorantiam, alii ob sceleratam illorum vitam omnibus manifestam, indigni sunt qui ad tam sublimem dignitatem fuissent promoti, & inde illorum oritur contemptus. Hæc igitur via sacerdotum quod jam in magnam villitatem, magnamque contemptum abierat, facile suo pristino restituatur pretio, & honoris, si nullus ad illum, nisi dignus promoveatur. Nullus nisi provecta jam ætate instituat Episcopus, aut Sacerdos, & qui prudens sit ad tale munus obeundum, & vir doctus qui alios docere valeat, & bonus, virtutisque studiosus, qui alios suo exemplo ad virtutem capeffendam horretur. Si tales sint Episcopi, & Sacerdotes, non dubito quin reliquus populus brevi ad veram Christianæ Religionis observantiam redibit. Si hæc sacerdotii reformatio fieri negligitur, necesse est, ut hi quibus hoc facere in-

cum-

cumbit, patienter ferant ejusdem sacerdotii contemptum, & per consequens legis divinæ, & Christianæ Religionis jacturam. Necessarium certe erit, ut malis Sacerdotibus eveniat id, quod Deus olim per Malachiam Prophetam, cap. 2. illis minatus est, dicens: *Propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis: sicut non servastis vias meas.* **C. A. P. U. T. V. L.** *De quinta hæresum causa, quæ est sacra scriptura translatio in linguam vulgarem.* **T**ranslationem sacra scripturae in linguam vulgarem multarum hæresum posse esse causam multis rationibus multaque irrefragabilibus testimoniis persuadetur, & res ipsa aperte demonstrat. Ut autem hoc apertius probare valeamus, illud ante omnia statuere oportet, primum, & potissimum omnium hæresum radicem esse pravam scripturae sacrae intelligentiam. Nam quia in sacris litteris contenta non juxta catholicam fidei doctrinam, sed juxta sensum à catholica fide longissime distantem intelligendam esse aliqui putant, ideo suas sententias quamvis catholicae fidei repugnantes, ac si divina essent oracula, firmissime tuentur. Quia ea que sentiunt, testimoniis sacrae scripturae munita, & roborata esse putant, & ideo tam constanti, & firmo animo ea tenent, ac reliqua, que vere in sacris litteris continentur. Unde Hilarius in lib. de Trinitate ait: *Extiterunt plures, qui celestium verborum simpliciter, non veritatis ipsius, absolutionem susceperunt, aliter interpretantes quam dictorum virtus postulare. De intelligentia enim hæresis, non de scriptura est & sensus, non sermo, sic crimen.* Hæc Hilarius. Et B. Augustinus in lib. 83. Quæstionum, quæstione 69. ait: *Non potest error oriri, palliatum nomine Christiano, nisi de scripturis non intellexit.* Hæc ille. Si ex prava sacrae scripturae intelligentia hæreses oriuntur, consequens est inde, ut vulgare indoctum sacras scripturas legens, magnam indeumat occasionem in varias incidendi hæreses: quoniam legit id, quod minime intelligere potest. Quod autem multa sint in sacris litteris, quæ à vulgo minime intelligi possunt, adeo est manifestum, ut nulla egeret probatione, nisi Lutherus, & alii ejusdem farinae homines, qui notissima alia negare solent, hoc etiam negassent, dicentes sacras scripturas præsertim novum Testamentum, esse intellectu facillimam, ita ut ab omnibus intelligi possint, & eam causam in eam linguam esse vertendam, in qua possit ab omnibus legi. Lutherum tamen, & quotquot illi in hac parte favent, pessime errare inde aperte convincitur: quod multa sunt ad sacrae scripturae intelligentiam maxime necessaria quibus omnibus constat vulgus indoctum carere. Omnes enim scientiæ naturales, teste Augustino, sunt valde necessariae ad veram, & exactam sacrae scripturae intelligentiam. Nam (ut ille ait lib. 2. de Doctrina Christiana, cap. 40.) sicut olim tabernaculum Dei constructum est, Deo præcipiente, & auro, & argento, quod filii Israel ab Ægyptiis acceperant, (Exod. 35.) sic modo Theologiæ structura, ex Gentilium scientiis, quæ, velut quodam illorum argentum & aurum sunt, confurgit. Historiarum variarum cognitionem esse ad verum sacrae scripturae intellectum consequendum, testatur idem August. qui lib. de Doctrina Christiana ostendit aliquos ob solam historiæ ignorantiam circa scripturam sa-

cram errasse. Neque ad solas res leves, & parvi momenti, sed ad prima totius Evangelicæ fidei fundamenta stabilienda, est historiæ cognitio necessaria. Primum enim totius Evangelicæ doctrinæ fundamentum est Jesum Filium Mariæ Virginis fuisse Messiam in lege promissum, & à Prophetis prædictum. Pro cuius fidei confirmatione multa ex præcipuis, quæ possunt ex sacra scriptura afferri testimonia, nequaquam possunt sine historiæ cognitione intelligi. Primum est ex lib. Genesis, (Gen. 49.) ubi Jacob, benedicens filium suum Judam, hæc ait: *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus: donec veniat qui mittendus est, & ipse erit ex peccatio gentium.* Ut autem hæc adventus Christi in carnem adaptentur, necessarium est scire ex historiis quando fuit ablatum sceptrum de Juda, & quando defecit dux de femore ejus. Alterum est de prophetia Balam, qui postquam dixit, oriturum esse stellam ex Jacob, & consurrecturam virgam de Israel, quæ percuteret Duces Moab, ut tempus, quo hæc propheta implenda esset, designaret, hæc dixit: (Num. 24.) *Hec qui videtur est quando ista faciet Deus? Veniet in tribubus de Italia, Superannus Assyrios, vestiantque Hebræos, & ad extremum ipse peribunt.* Qui hanc prophetiam in Christo Salvatore nostro impletam esse probare voluerit, oportet, ut sciat quando Romani Assyrios superaverint, vastaverintque Hebræos. Multo major historiæ cognitio exigitur pro vera intelligentia prophetiæ Danielis, cap. 9. de septuaginta hebdomadis abbreviatis, post quas mox ingens erat sanctorum sanctorum. Qui historiæ est profus ignarus, ut multi ex vulgo esse solent, nequaquam poterit has, quas diximus prophetias, Christo, de quo illæ prædictæ sunt, adaptare. Deinde Augustinus, lib. 2. de ejusdem operis de Doctrina Christiana, cap. 29. docet troporum, & figurarum cognitionem esse profus ad scripturarum cognitionem necessariam, quæ à Grammaticis, & Rhetoricis petenda est. Ex hujus rei ignorantia constat multas posse hæreses oriri, propterea quod figurata loquutio non agnoscitur, & creditur esse non figurata. Ex hac enim radice orta est olim in Ægypto Anthropomorphyta hæresis, putantium Deum esse corporeum, propterea quod sæpe sacrae litteræ Deo membra tribuunt humana. Si enim metaphoræ vim intellexissent, non fuissent illi in talem hæresim lapsi. Ex eadem ignorantia prodiit hæresis Cherinti, & aliorum doctum delicias carnis futuras esse in celesti beatitudine. Decepti enim sunt hi, ex eo quod Saluator apud Lucam, cap. 22. ait: *Ego dispono vobis mensam, sicut disposui mihi Patet, ut edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo.* Sunt & alia id genus multa in sacris litteris, de quibus omnibus non est possibile hoc loco disserere. Certum est plebem indoctam necesse discernere figuratas loquutiones à non figuratis, & inde necesse est, ut in pluribus labatur errores, si eas sine ulla figura, & sine ullo tropo intelligere velit. Multa sunt in Evangelicis à Christo Salvatore nostro, & deinde à Apostolis in Epistolis suis per hyperbolem dicta. Sæpe utuntur Apostoli, & Evangelistæ synecdoche figura, quam, qui non intellexerit, necesse est, ut erret. Nam qui hæc ignoraverit, necesse est, ut in tempore mortis, & resurrectionis Christi erret, putans Christum non vere dixisse se futurum in corde terre tribus diebus, & tribus noctibus. (Mat. 12.) Eadem ratione deridetur litteram Exodi, ubi dicit, virgam Moysi devorasse virgas Magorum. Dicit enim apud se: Qui fit, ut virga, quæ nec os, nec dentes, nec gulam, nec ventrem, nec denique sensum ha-

compunctionis & devotionis excitationem; ut magis ac magis in ipsis charitas accrescat, humilitas solidetur, atque opera carnis mortificentur. Haec tamen nonnullis esse qui sibi plus iusto arrogantes, has Parisenses censuras subleant, dicentes, articuli Parisenses non transeunt montes. Quibus verbis hoc dicere volunt se non esse addictos censuræ Parisiensi, quin liberum sit illis aliter quam illi censuerunt sentire. Faicor quidem nos non jurasse in verba Universitatis Parisiensis, atque sub gehennæ pœna ad suscipiendam illius decreta minime esse obligatos: hoc tamen non diffiteor, quod etiam nullas sanæ mentis negare poterit multo pluris estimandam esse illius Universitatis sententiam ad quam fere centum convenere sacre Theologiæ Doctores, qui rem plene (ut decebat) longa, & exacta discussione examinarunt, quam alterius cuiusvis doctissimi hominis de eadem re iudicium. Et ob hanc causam prudenter quemque facturum censéo, illorum in hac parte amplecti sententiam, quam tot viris doctissimis spreis, suæ tantum velle iuniri prudentiæ.

CAPUT VII.

*Respondetur objectionibus, quæ sunt ab iis qui contendunt sacram scripturam esse in linguam vulgarem transferendam.*

**Q**UI sententiam aliquam tutari, & illam firmo veritatis robore constantem esse, aliis palam facere cupit, non satis est illi rationes aliquot, quibus illam persuadeat, proferre: sed opus est, ut etiam iis, quæ contra illam obijciuntur, respondeat. Quod si recte (ut oportet) fecerit, tanto fortius veritatem sententiæ, quam tuetur, confirmabit, quanto ea quæ contra illam obijciuntur, nullius profus roboris esse apertius offenderit. Vix enim est aliqua tam certa, & aperta veritas de his quæ ad fidem, aut mores spectant, cui hostes desint, qui illam multis, variisque argumentationibus oppugnare conentur. Nam pater ille mendacii, qui (ut Salvator noster ait Joann. 8.) in veritate non stetit, sed ab humane conditionis initio mendax fuit, tam exosam habuit veritatem, & bello irreconciliabili adeo illam infectatur, ut semper milites contra illam perquirat, & variis illis argumentationibus armet, quibus illi veritatem oppugnare possint. Hoc enim, & aliis in rebus, & in hac de qua in præcedenti capitulo differuimus, ipsa experientia docente, verum esse cognoscimus. Nam & si re ipsa compertum sit malum esse sacram scripturam in linguam vulgarem transferri, ut à populo rudi possit sine ullo discrimine legi, non desunt tamen etiam christiani, & catholici viri qui hoc bonum esse commendant, & varias pro hac re profert rationes, quibus Lutheri, Erasmi, & in hac parte sententiam persuadere conentur. Quibus omnibus sigillatim respondere decrevi, ut offensa illarum omnium debilitate, vel inde nostræ sententiæ veritas clarior, & firmiter appareat. Primo quidem obijciunt nobis defectum pabuli spiritualis, hoc est, verbi Dei quem totus populus Christianus non sine magno suo incommodo paritur. Nam pastores animarum, quibus Deus præcepit, ut oves suas scientia, & doctrina pascant, aut docere nesciant, aut id facere negligant. Cum igitur pastores iam desides sint, ut oves, hoc est, animas suæ curæ commissas verbo Dei pascere contemnunt, necessarium, aut saltem expediens esse videtur aliquibus, sacram scripturam in linguam vulgarem tradendam populo præberi, ut in ea populus legens cibum animæ suæ

capiat, ne ille inedia pereat, aut summe periclitetur. Huic objectioni nos respondemus, fatentes pessimam esse pastorem in hac parte negligentiam, qui oves, hoc est, animas illis commissas, tam segnitè curant, ut balantes, & pabulum verbi Dei petentes negligant; & quamvis illas fame perire intelligant, nequaquam illarum miseræ necessitati compatiuntur. Nam & hanc pastorum desidiam supra cap. quarto hujus libri ostendimus: & quantum in nobis fuit super illarum miseria doluimus. Huic igitur tantæ verbi Dei penuriæ subvenire oportet, non tamen ideo dandus est omnibus omnibus cibis, sed ille solus qui est cuique necessarius, & qui nullum poterit sumentis dampnum inferre, sed potius contra poterit illum ad vitam spiritualem nutriendam, & fovendam juvare. Nam (ut ex his, quæ proxime præcedenti cap. ex Origine, & Chryostomo, & Anselmo citavimus) constat juxta qualitatem eorum qui sunt docendi, temperanda est doctrina, sive illa verbo, sive scripto tradatur. Sicut enim infanti quantumlibet esurienti non est tradendus cibus durus quem ille comminuere non possit, aut foris quem virtute sua digerere non valeat, ita non sunt auditores, aut lectores supra vires instruendi, sed illa tantum sunt illis tradenda quæ capere, & intelligere possunt. Ob quam causam ego bonam esse existimo, ut in qualibet orbis Christiani provincie aliquis haberetur in lingua vulgari illius provincie catechismus, qui brevi quadam, & aperta methodo optime explicaret omnia quæ ad fidem catholicam, & mores christianos pertinent, ut inde populus, vel lectione sua disceret ea quæ sunt illi ad vitam æternam assequendam necessaria. Nec indignum facinus esse censuere, si etiam populo lingua vulgari traderentur illæ Evangeliorum partes, quæ per anni circulum Dominicis diebus, & aliis festis sancta Mater Ecclesia in Missarum sacrificiis dicenda proponit. Hac tamen conditione, hoc licitum esse puto, ut Evangeliorum illorum in linguam vulgarem translatio sit prius per viros doctos, & catholicos recte (ut decet) ad ultimum usque verbum examinata, ne ex prava traductione aliquis possit legentibus subripere error. Nam multos scio in variis provinciis seminarios errores ex litteris sacris perpetam, & infideliter in linguam vulgarem versis. Deinde hæc ipsa Evangelia non sunt illis nuda tradenda, sed adhibere illis oportet aliquam brevem, & claram expositionem, quæ nodos Evangeliorum, si qui occurrerint, dissolvat, & locos obscuros fideliter, & appetitissime explicet, ut omnis dubitatio, quæ idiotæ lectori ex littera suboriri possit, per illam expositionem tollatur. In rebus apertis, & quæ ad mores conducere possunt, prout libuerit spatietur, & excurrat: in rebus vero difficilibus, & minime necessariis, brevis & succincte agat. Et hæc satis erunt, ut populus inde pasci possit, & scire ea quæ ad vitam æternam assequenda sunt necessaria. De Epistolis vero Pauli Apostoli non idem mihi licere videtur, quoniam (ut beatus Petrus ait 2. 3.) multa sunt in illis intellectu difficilia. De Apocalypsi vero Joannis Apostoli, non video quo pacto possit in linguam vulgarem translati populo tradidi, quam viri doctissimi circa illius intelligentiam sæpe ob illius oculta mysteria hallucinantur. Testamentum autem vetus constantissime assero non esse in linguam vulgarem transferendum, ut populo rudi legendum tradatur, quia hæc ipsa traditio nulli populi necessitati, sed soli illius curiositati deservire potest. Nam ea quæ ad fidem, & mores spectant, & ad beatitudinem adipiscendam sunt

necessaria, multo apertius, & uberius sunt in novo Testamento expressa, quam in veteri, reliqua vero quæ ad judicia, & cæremonias in illa veteri lege pertinebant, omnia sunt per Christi mortem abrogata. Quo fit ut veteris Testamenti lectio populo rudi, & idiotæ ad nullam possit servire necessitatem, sed ad solam curiositatem. Ex qua lectione cum multarum possit populus hæreticum occasionem sumere, legens id quod minime intelligere valet, merito dicimus hanc ipsam veteris Testamenti lectionem non esse populo rudi permittendam, præsertim cum non sit illi ad vitam æternam assequendam necessaria.

Secundo sic argumentantur, ut probent sacras litteras in linguam vulgarem esse tradendas. Sacra scriptura toti populo prædicatur: pari igitur ratione poterit illi tradenda. Nam parum refert, an verbo, an scripto illa populo tradatur. Huic argumentationi facillime respondere quisque poterit per ea quæ in responsione ad proxime præcedentem objectionem diximus. Et, ut clarius pateat, quam parum hæc argumentatio urgeat, in eos ipsos qui illam contra nos movent, retorquere illam decrevi. Scriptura sacra pro ea tantum parte licite potest in linguam vulgarem transferri, ut populo legenda tradatur, quæ licite possit eidem populo verbo prædicari. Non sunt autem omnia quæ in sacra scriptura continentur, populo rudi prædicanda, ut testimoniis Origenis, Chryostomi, Gregorii, Anselmi præcedenti capitulo probavimus. Inde ergo evidētissime colligitur, non omnia quæ in sacra scriptura continentur, esse in linguam vulgarem transferenda, ut populo rudi sine ullo discrimine legenda tradantur.

Tertio nobis obijciunt sacrarum litterarum bonitatem, quæ (ut illi sentiunt) aperte convincit litteras ipsas non esse populo denegandas. Injustum enim est (ut illi ajunt) ea quæ bona sunt in universum populo denegare. Huic objectioni nos respondemus, multa esse quæ absolute, & in se considerata bona, & utilia sunt, quæ tamen ad unum aliquem particularem relata, illi non bona, sed mala; non commoda, sed incommoda esse noscuntur. Bonum quidem est homicidii, & sicarios, adulteros, fures, maleficos, & reliquos id genus homines punire. At homini privato, qui gladii potestatem non habet, non est bonum hujusmodi homines, quamvis sceleratissimos punire. Homo enim privatus non est Dei minister vindex in iram, ei qui malum agit: & ideo, nec occidendi, nec alio modo puniendi potestatem habet. *Omnis enim potestas* (ut ait Paulus Rom. 13.) *à Deo est*; unde sequitur, ut potestas quæ à Deo non est, tyrannis potius, quam potestas dicenda sit. Privato igitur homini, & hac potestate carenti, qui sceleratum hominem punire, merito dici potest id quod Paulus ait: (Rom. 14.) *Un quis es qui iudicas seruum alienum?* Multæ etiam sunt cibi optimi, & corporis naturæ maxime convenientes, ut sunt capones, perdices, vituli, hædi, arietes, qui tamen infantibus nondum ablactatis boni non sunt, propterea quod virtus puerorum tenuis illos concoquere non valet. Bonus quidem est gladius propter multas bonas operationes suas, quibus humanæ servit naturæ, præsertim in divisione earum rerum quibus homo vesci solet, quæ sine gladio vix dividi possunt, ut sint elui apta. Est etiam gladius ad punitionem malorum bonus, Nam ob hanc causam dicit Paulus (Rom. 13.) *non sine causa gladium portat*. Non tamen est hujusmodi gladius pueris bonus; propterea quod illi nescientes illo uti, sibi ipsis sa-

cile nocere possunt: nec est etiam dementibus, & furiosis bonus, quia illi furia agitati, multis per gladium mortem inferre possunt. Ad hunc modum de sacris litteris dicendam esse censéo. Nam & si illæ in quacumque lingua veriantur, bonæ & sanctæ sint, & sanibus tamen idiotis, & rudibus, & qui malis moribus sunt imbuti, bonæ non sunt, quia cum multa in illis sint intellectu difficillima, certum est illas non posse à talibus hominibus intelligi, sed quisque illorum juxta id quod diligit, intellectu obediente voluntati, sacras interpretabitur scripturas, & juxta illum sensum intelligendas esse pertinacissime contendet. Sicut gladius in manu pueri, aut furiosi, ita sacra litteræ in manibus hominis idiotæ, præsertim male morigerati, mihi esse videntur.

Quarto loco nobis obijciunt multorum bonorum hominum profectum, qui sacras litteras in linguam vulgarem veras legentes, non modicum inde utilitatem hausierunt, quotidie in melius per illas ad salutem animæ proficientes. Quod quum re ipsa compertum sit, inde colligere volunt, ut propter illos qui scripturis sacris abutuntur, bonis, & humilibus qui ex illis proficere possent, non sint illæ profus denegandæ, sed potius & contrario, ne tollatur bonorum profectus, expeditur eas omnibus concedere. Hæc argumentatio nullius profus est roboris, & ex mera procedit ignorantia. Nam ut argumentatio illa alieujus esset momenti, hoc oportebat prius asserere, quod in omnibus rebus, sine ullo profus illarum discrimine, semper aliquorum paucorum profectus sit potius inspicendus, quam ut evitetur aliorum multorum incommodum. Alioqui enim si hæc universalis propositio ab illa argumentatione tollatur, nihil per illam colligi poterit. Hæc autem universalis propositio quantum à veritate abit, nemo est qui non videat. Quoniam & si res ad salutem animæ necessarias nullus omittere debeat, ut evitet per hoc aliorum multorum dampnum, tamen ex concordia omnium Theologorum sententia, res quæ ad salutem animæ non sunt necessariæ, quisque tenetur omittere, ut per hoc evitet dampnum spirituale, quod illæ aliis inferre possent. Nam Alexander de Ales, in secunda parte suæ Summæ Theologiæ, quæst. 189. membro 6. dicit omnem hominem esse obligatum ad dimitendum quamcumque rem quantumlibet bonam, si non est ad salutem animæ suæ necessaria, ut evitet scandalum quod provenit in proximo, ex illius infirmitate, aut ignorantia. Idem docet beatus Thomas, Secunda Secundæ, quæst. 43. articulo septimo. Eisdem sententiæ subscribit Richardus de Media-villa in quarto Sententiarum, dist. 38. art. 10. Videamus igitur an sit cuiuscumque vulgari, & privato homini res ad salutem animæ ejus necessaria legere sacras litteras. Nullum puto esse adeo insipientem, ut hanc necessitatem omnibus imponere velit. Nam sic sentiens, omnes rusticos, & omnes qui profus litteras ignorant, damnaret. Si res hæc non est sic omnibus necessaria: ergo quilibet homo bonus ex plebe, quamvis magnum ex traductione sacrarum litterarum in linguam vulgarem profectum hauriret, tenetur velle, ut sacre litteræ in linguam vulgarem non transferantur, & ab illarum lectione abstinere, si conspicit alios multos ex illarum translatione, & lectione scandalum animarum suarum sumere: si quisque in re hæc ad salutem animæ suæ non necessaria tenetur suum postponere profectum, ut per hoc evitet spirituales proximorum documentum, aperte colligitur inde, ut is cui totius populi moderatio incumbit, possit justè, immo teneatur impedire particularem aliquorum profectum talem traductionem

in linguam vulgarem prohibendo, ut per talem prohibitionem evitet spirituale nocementum, quod multis aliis ex tali translatione provenire posset. Deinde considerandum est etiam, quod multorum commodum semper est præferendum paucorum utilitati. Constat autem multo plures esse illos quibus translatio sacræ scripturæ in linguam vulgarem nocere potest, quam sint illi qui ex ea proficiunt. Stultorum siquidem multo major est numerus quam prudentium, & peccatorum etiam major numerus quam iustorum. Consequens igitur est, ut potius consulendum sit multorum commodis huiusmodi translationem sacræ scripturæ in linguam vulgarem prohibendo, quam paucorum profectui eam omnibus sine ullo discrimine cum multorum incommodo permitiendo. Et hoc optime annotavit Parisiensis Academia in illa sua censura quam de hac re contra Erasmi assertionem protulit, quam in fine præcedentis capituli citavimus. Nam inter alia quæ in illa censura habentur, prædicto adversariorum argumento tacite respondet, sic dicens: Nec scibi paucis esset utilis, propterea temere esset omnibus permittenda. In re namque ad salutem non necessaria, potius consulendum est multorum profectui ipsam interdicens, quam paucorum utilitati eam permittendo cum gravi multitudinis incommodo. Unde & jure damnata est huiusmodi translatio. Hæc est censura Parisiensis.

Quinto loco obijciunt hæreticorum multitudinem intra Ecclesiam nunc existentium, qui viros catholicos, & fideles quotidie variis rationibus oppugnant, & viros simplices, & idiotas diversis argumentationibus fallacissimisque suasionibus ad se trahere nituntur. Ex hoc loco hi qui partem oppositam tuerent colligere volunt, ut saltem hoc misero tempore in quo tanta est hæreticorum inundatio, bonum sit, immo necessarium sacræ scripturam in linguam vulgarem vertere, ut populus ipsas literas legens inde dicat quid hæreticis respondere possit. Hæc argumentatio tam parum nos urget, ut fortius nos contra eos illam retorquere possimus his verbis. Non est bonum ut populus habeat scripturam sacræ in linguam vulgarem translata, ne in illa legens, arma inde sumat quibus possit cum hæreticis de fide certare. Nam (ut proxime præcedenti capitulo diximus) huiusmodi disputatio est laicis, & vulgaribus hominibus à jure interdicta in capite Quicumque, §. Inhib. de hæret. lib. 6. Si illis disputatio de fide interdicitur, justum est ut non permittatur illis id quod maximam poterit disputationis occasionem præbere. Ne igitur, totius sine discrimine populus cum hæreticis possit de fide certare, necessarium est ut sacræ scripturæ ex qua disputationis arma sumenda sunt, ab illo prorsus tollatur.

Sexto & ultimo loco contra nos sic argumentantur. Scriptura sacræ olim fuit tradita in lingua vulgari. Nam linguam Hebræam in qua testamentum vetus conditum est, omnis populus Hebræus cui soli lex illa data est, optime intelligebat: quoniam lingua illa erat qua totus ille populus tunc utebatur. Lingua etiam Græca, in qua totum testamentum novum, præter Evangelium Matthæi & Epistolam ad Hebræos scriptum est, vulgaris tunc erat, quippe quam omnes ex vulgo intelligebant. Si tunc in eis linguis sacræ literæ traditæ sunt in quibus ab omni populo possent legi & intelligi, videretur iis qui oppositam partem tuerentur, inde evidenter colligi, justum esse immo necessarium, ut cuique populo in ea lingua sacræ literæ tradantur, in qua possit illas legere & intelligere. Hanc argumentationem tanti faciunt nostri adversarii, ut per il-

lam solam de nobis se triumphare putent. Sed nos, Deo adjutore, ostendemus, illam nihil plus roboris habere quam reliquæ omnes illorum argumentationes. Si hæc argumentatio aliquam vim haberet, eodem argumentationis modo probaretur non esse lege naturæ prohibitum ut aliquis foretorem suam sibi matrimonio copularet. Nam quum genus humanum à Deo conditum est, tale ab illo factum est, ut viri foretorem suas in conjuges acciperent. Cain enim foretorem suam in conjugem accepit. Si in tali statu, à Deo conditum est genus humanum in quo illi hoc non solum licebat: sed facere fuit necessarium: ergo idem etiam nunc hominibus licebit, præferim his qui non sunt ad leges Ecclesiæ adstricti, ut sunt Pagani, & Sarraceni, & Judæi. His enim omnia illa matrimonia sunt licita, quæ lege naturæ non sunt prohibita. Si quis autem concedat tale matrimonium fratri cum foretore esse legitimum inter Paganos, oportebit illum fateri, ut si aliquis Paganus qui cum foretore sua matrimonium contraxerat, ad fidem Catholicam converteretur, non sit ab eadem foretore per matrimonii dissolutionem postea separandus. Quoniam matrimonium quod semel legitimum fœdere fuit contractum, non potest ab Ecclesiâ dissolvi. Nam ipse Deus hoc illi prohibuit dicens: (Matth. 19.) Quos Deus coniunxit, homo non separaret. Ecclesiâ tamen, huiusmodi matrimonia ante baptismum contracta, postea baptismum suscepto dissolvenda esse censet, ut patet in cap. Gaudemus, de divortio. In illo enim capitulo Pontifex decernit ut infideles ad fidem Catholicam conversi in solis illis matrimoniis manere permittantur, quæ in secundo aut tertio gradu ante conversionem suam illi contraxerant. Si quis autem querat, quare matrimonium fratris cum foretore sit nunc, omni lege humana sæcuisa detestabile, quod tamen olim quando Deus genus humanum instituit, fuit licitum: huic questioni respondet beatus Augustinus, lib. 15. de civitate Dei cap. 16. sic inquit: „Cum genus humanum post primam copulam viri facti ex pulvere, & conjugis ejus ex viri latere, „marium feceruntque conjunctione opus haberet, ut „gignendo multiplicaretur, nec essent ulli homines, nisi „qui ex illis duobus nati fuissent, viri foretorem suas con- „juges acceperunt. Quod profecto quanto est antiquius „compellente necessitate, tanto postea factum est damna- „bilis religione prohibente. Et paucis interjectis, per quæ „docet, alias à foretorem accipiendas esse uxores, postea subdit. Sed unde hoc fieret tunc non erat, quando „nisi fratres & foretorem ex illis duobus primis, nulli homi- „nes erant. Fieri, ergo debuit quando potuit, ut ex illa „tenue copia unde ducerent uxores, quæ non erat jam foretorem, & non solum illud ut fieret nulla necessitas esset, verum etiam si fieret, nefas esset. Hæc Augustinus.

Ad eundem modum nos etiam respondemus superiori argumentationi nobis objectæ, pro translatione sacræ scripturæ in linguam vulgarem. Quando sacræ scripturæ condita fuit, in lingua vulgari fuit tradita: quia non erat tunc alia lingua in populo illo in qua tradi posset. Nam & si post constructionem turris Babylonis, lingue fuerint juxta diversitatem provinciarum divise, non tamen fuit in eodem populo diversitas linguarum, ita ut altera esset vulgaris, quam totus populus intelligeret, & qua totus populus uteretur, altera esset quam soli viri docti intelligerent. Hæc enim lingua Latina, quæ nunc arte à paucis dicitur (ut doctorum virorum concors tenet sententia) olim toti populo Romano erat communis, nec alia tunc populus ille utebatur. Sed quia populus ille variis impe-

ravit provinciis, quibus omnibus suam curavit traderet linguam, & variæ etiam nationes Italianæ postea occuparunt: ex harum mixtione linguarum, illa Romanæ lingue puritas & proprietates paulatim corruptæ cepit, & ex tali corruptione diversæ emerferunt apud Latinos populos lingue: quæ omnes ab illa antiqua lingua Latina quæ olim erat populo communis & nunc arte dicitur, longissime distant. Idem etiam contigit populis Græcis, quibus omnibus olim notus erat ille Græcicus sermo qui nunc arte à paucis dicitur, à quo longe distat sermo ille quo nunc Græcorum populi utuntur. Tunc igitur datum fuit testamentum novum in lingua vulgari: quia nulla erat tunc in eodem populo linguarum distinctio, ita ut altera toti populo esset communis, altera solis viris doctis esset nota. Sacram ergo scripturam tradi in lingua vulgari (ut Augustinus de matrimonio inter fratres contracto dicit) quanto est antiquius necessitate compellente, tanto postea factum est damnabilis, experientia ipsa docente. Si quis autem objiciat Deum potuisse tunc aliam condere linguam, quæ solis viris doctis esset nota, in qua sacram traderet scripturam, ut non esset toti populo communis. Fateor Deum hoc potuisse: sed cur non fecerit, non est nostrum inquirere. Nam alias, idem etiam postea objici contra Augustini sententiam de matrimonio fratris cum foretore, quod ille olim necessitate cogente licitum esse dixit: quum tamen illud modo dicat esse damnatum. Poterat enim Deus à principio aliam marem & aliam feminam procreare præter Adam & Evam, qui filios generarent, quos filia Adam acciperent maritos, & filias quas filii Adam acciperent uxores. Quo facto nulla fratres compelleret necessitas ut foretorem suas acciperent uxores. Quis tamen de hac re Deum reprehendere audebit, aut illum interrogare cur ita fecerit? Justus quidem est ut humiliter & reverenter quisque fateatur ignorantiam suam, & dicat eum Propheta (Psal. 35.) *judicia Dei esse abyssum multam.* Sed hæc dimissa præter argumentationis principalis responsione, aliter adhuc eidem argumentationi respondere decrevi: ut vel inde palam omnibus fiat debilissimum esse argumentationem illam, per quam adversarii nostri de nobis triumphare se putant. Fateor scripturam sacræ in ea lingua primum conditam esse, quæ tunc erat vulgaris & materna. Ipsa tamen scriptura non omnibus patebat, ut ab omnibus sine ullo discrimine legi posset: sed soli sacerdotibus & legis periti eam apud se tenebant. Nam (ut habetur id Deuteronomio (Cap. 31.) postquam scripsit Moyses verba legis in volumine, atque complevit, præcepit Levitis qui portabant arcam fœderis Domini, dicens: *Tollite librum fœderis & ponite eum in latere arce fœderis Domini Dei vestri: ut sit ibi contra te in testimonium.* Et certe non est credendum litteras sacræ esse tunc omnibus tam communes, ut modo sunt, quod vel ex eo facile convinci potest, quod in quarto libro Regum, tempore Josiæ Regis contigisse sacræ narrat historia. Nam vigesimosecundo illius libri capite refertur, Helchiam sacerdotem invenisse librum legis in domo Domini, quem per Saphan Scribam idem sacerdos misit ad Regem Josiæ. Hanc autem librum legis eum legisset Saphan coram Rege, & audisset Rex verba libri legis Domini, scidit vestimenta sua: quia videlicet libro legis audito, apertissime conspexit nihil eorum, quæ Deus in lege sua præceperat, observari. Hoc autem Rex non bene intelligebat antequam liber legis inveniretur ab Helchia sacerdote: propterea quod erat liber alius, per quem Rex fidelissimus, & sanctissimus de lege Domini doceri potuisset. Si liber legis, hoc est, Pentateucus tunc

esset toti populo communis: ita ut quilibet vulgaris homo illum penes se habere posset, vix contingere potuisset, ut liber legis apud omnes, etiam apud Regem periret, & nemo esset, qui illum haberet, aut de illo rationem reddere posset. Sed quia soli sacerdotibus Leviticis generis, & Scribæ totam Domini legem penes se habebant, inde factum est, ut sacerdotibus, & scribis à vero Dei cultu ad idololatriam deficientibus, & legem Domini contemnentibus liber legis nullibi inveniretur: nisi in templo Domini, in eo forte loco ubi Moyses illum reponi, mandaverat. Epistolas Pauli, quas ad civitates ille scripsit, credendum est illas non toti populo: sed Episcopo soli, & clero illius civitatis datas esse, ut illi postea populo manifestarent ea, quæ Paulus illis per epistolas suggererat. Hoc autem vel ex eo facile conjici potest, quod ipse Paulus in priori ad Thessalonicenses epistola, capite ultimo ait: *Adjuro vos* (inquit ille) *per Dominum, ut epistola hæc legatur coram omnibus fratribus.* Si epistola toti populo dabatur, quos ergo Paulus adjurat? Episcopum certe, & clerum, cui illa dabatur, adjurat ut illam coram omnibus fratribus, hoc est coram omnibus Christianis, qui in illo populo erant, legeretur. Verum hoc speciale fuit in hac epistola, ut coram omnibus illam legi præceperit: quoniam quæ in illa scripsit Paulus clarissima erant, & quæ ab omnibus intelligi poterant. De epistolis ad Romanos, & ad Galatas, & ad Hebræos nihil tale præcepit Paulus: quoniam quæ in illa scripsit Paulus clarissima erant, & quæ ab omnibus intelligi poterant. Si pro certo, & indubitato habuisset Paulus epistolas suas, quas ad civitates mittebat, esse coram toto populo legendas, non erat opus, ut speciale de hac re daret Thessalonicensibus mandatum. Sed quia optime ille noverat epistolas illas, quæ ad civitates mittebantur, solis civitatum Principibus folias esse dari: ideo speciale de illa voluit facere mandatum, ut coram omnibus legeretur. Deinde, & si scripturæ sacræ tunc per omnium manus, ut nunc volueret, non tamen adeo populus de illius intelligentia tunc præsumebat, ut nunc, neque tam temere, & prociaciter de illa populus disputare audebat: sed plebs à sacerdotibus docebatur, juxta id, quod Dominus per Malachiam Prophetam (Cap. 2.) ait: *Labia sacerdotum custodiunt scientiam, & lege requirent de ore ejus: quia Angelus Domini exercituum est.* Si dubitatio aliqua oriebatur, sacerdotes interrogare oportebat, quorum responsis omnes obedire tenebantur, juxta præceptum Domini, quod de hac re per Moysen in Deuteronomio (Cap. 17.) dederat. Nunc vero prociaciter temeritate populus sacræ scripturæ intelligentiam sibi vendicat, & de illa cum doctissimis viris contendere non veretur. Et ob hanc causam, & si olim sacræ literas toti populo traditas esse constaret, ut à quolibet vulgari homine sine ullo discrimine legi possent, quod ego constantissime nego, nunc tamen aliter fieri expediret, propter impudentem populi temeritatem, atque arrogantiâ. Multa enim scimus olim fuisse licita, quæ nunc minime expediunt, & si quis ea nunc facere tentaret, non solum, utcumque malus, sed impius, & infidelis censeretur. Olim enim corpus Domini dabatur cuique petenti in manus, quod quisque secum domum portabat, ut cum ei libuisset domi suæ accipere posset. Quæ res ex libro 6. historiarum Ecclesiasticarum Eusebii, cap. 33. facillime colligi potest. Quod tamen olim licuit, hoc sacculo facere non expediret, quia experientia docente merito timetur, ut aliqui sint, qui tractent indigne, & ad magicas artes abutantur. Non igitur omnia, quæ olim licuit

se constar, nunc licere, aut expedire est necesse. Non est igitur consequens, ut litteræ sacræ in linguam vulgarem translatae, nunc populo legendæ tradantur, quamvis illas olim in lingua vulgari toti populo traditas esse constaret. Hæc sunt quæ contra nostram sententiam ab aliquibus obijci intelligo: quibus omnibus abunde satis respondisse me puto. Cætera vero si quæ sunt, indigna esse opinor ut illarum responsione tempus teramus, & chartas impleamus.

CAPUT VIII.

De ultima Hæresum Causa, quæ est Afsidua, & incauta in libris gentilium hominum lectio.

Ultima se mihi jam offert (ex his, quas Principes facile tollere possunt) hæresum causa, quæ est afsidua, & indiscreta, sive incauta lectio librorum hominum gentilium, præsertim si à teneris annis quis illorum lectioni studuit, & totam in illis expendit operam. Nam quod hæc res sit potens ad hæreses varias procreandas, inde constare potest, quod quidquid ad Christianam spectat religionem, sive ad mores, sive ad credendorum fidem referatur, id totum apud gentiles auctores rejicitur, & deridetur. Quoniam si eorum aliqui virtutes doceant, hi tamen, qui rarissimi apud illos sunt, ea firmissime sentiunt, & totis viribus persuadere conantur, quæ cum fide Catholica velut ex diametro pugnant. Et circa ipsarum virtutum, quatum ex promotores profitentur, doctrinam præstandam, hi, quos pro miraculo ipsa gentilitas suspexit, & quasi sapientia fontes veneratur, miserrime errant, ea docentes, quæ juxta veritatem Evangelicam ab affectione felicitatis æternæ, quam illi cacutientes quærebant, omnino avertunt. Multi enim ex illis virtutem, & hominis ultimam felicitatem ex suo affectu statuerunt, id docentes, esse virtutem & felicitatem, quod ardentissime appetebant. Nam Epicurus pecora imitari volens, bonorum omnium finem dixit esse voluptatem, hæc sola ratione ductus, quod illam solum (ut ille ait) appetant belluæ. Alii divitias, alii honores, summum bonum esse dixerunt. Aristoteles, quem tota recentium Philosophorum schola tamquam magistrum recepit, & si multo melius, quam illi sapuit, non parum tamen hac in parte erravit. Nam licet felicitatem ille in cognitione contituat, hæc tamen in præsentis vita dicit habendam, nihil alteri vitæ relinquens, in qua nullam putat esse operationem. Quia in re adeo erravit, ut Paulus censcat (1. Cor. 13.) nos miserabiliores omnibus hominibus, si in hac tantum vita felicitatem assequi speramus. Quis enim non videt neminem sine miseria aliqua, aut indigentia, aut infelicitate in hac vita unquam vixisse, aut vivere posse? At eum, qui miseriam patitur, aut aliquo indiget bono, Aristoteles pluribus in locis fateatur non esse felicem. Et inde argumentationem colligentes, facie Aristotelem suo ipsius gladio configemus, probantes neminem in hac vita posse esse felicem: ac proinde supremam felicitatem non in hac vita, sed in alia esse expectandam. Sic enim argumentari possumus. Felicitatem omnes appetunt: est ergo naturalis hic appetitus, & inde sequitur talem appetitum non esse inanem, & frustra. Nulli autem (ut res ipsa docet) in hac vita, quam constat esse mille miseriis plenam, felicitatem assequuntur: in alia igitur vita esse illa speranda. Deinde multa ad felicitatem pertinere dixit, quæ ad illam minime spectant, ut sunt nobilitas, divitiæ, boni

liberi, senectus commoda, & corporis bona, ut sanitas, pulchritudo, vires, proceritas, robur ad certandum, gloria, honor, prosperitas, potentia, & fortuna. Hæc autem omnia (ut sacræ nos docent litteræ) à vera illa, & plena, quam speramus, felicitate longissime absunt. Et si hic Philosophorum omnium maximus tam misere circa felicitatem erravit, quid de aliis multo minoribus sperandum erit? Ideo merito Salomon de Philosophis loquens ait: (Eccle. 10.) Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in urbem pergere. Quæ verba interpretans Hieron. in commentariis super Ecclesiasten, ait: „Lege Platonem: Aristotelis revolve versutias: Zenonem, & Carneadem diligentiùs intueri, & probabis verum esse, quod dicitur: Labor stultorum affliget eos. Veritatem quidem illi omni studio quæserunt: sed quia non habuerunt ducem, & prævium itineris, & humanis sensibus rati sunt se comprehendere posse sapientiam, ad civitatem minime pervenerunt: de qua in Psalmo dicitur: (72.) Domine in civitate tua imaginem ipsorum dispisabis. Omnes enim umbras, & diversas imagines, atque personas quas sibi in variis dogmatibus induerunt, in urbe sua Dominus dispisabit, de qua & alibi scribitur: (Psal. 45.) Plurimis impetus lætificat civitatem Dei. Hæc Hierony. Præter hunc communem illorum omnium, quo tam falso de felicitate disseruerunt, de virtutibus, & vitis tractantes, multos alios docuerunt errores. Nam fornicationem simplicem nullis illorum damnavit. Honores appetendos esse, & non fugiendos, omnes illi docuerunt. Divitiarum aliqui adeo æstimarunt, ut in illis felicitatem contituarent, de quibus Propheta Regius (Psal. 143.) ait: Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt. Alii (ex quibus est Aristoteles) & si felicitatem in divitiis non constituerunt, illas tamen pluris fecerunt, quam paupertatem, & plus ad virtutem prodesse posse, quam paupertatem, dixerunt. Et credo certe inde suam hæresim traxisse: Vigilantium, Joannem Vvicleph, & Joannem Hus dicentes, paupertatem voluntariam nullius profus esse apud Deum meriti: quem tamen ipse veritatis magister Salvator noster dixerit: (Math. 19.) Si vis perfectus esse: vade, & vende omnia, quæ habes, & sequere me. Alii videlicet Stoici (è quorum numero est noster Seneca, & quibus in hac parte se connumerari voluit in Paradoxis Cicero) docent omnia peccata esse paria, nec unum altero esse gravius. Sed Philosophis dimissis, qui uti in multis erraverunt, multa tamen alia vera, & honesta de virtutibus docuerunt: ad Poetas eorum veniamus, publicos omnium virtutum hostes & omnium vitiorum acutissimos diligentissimosque subornatores. Vix enim ullum est vitium, quod non fuerit summopore à Poetis laudatum. Quoniam nulla major potuit dari vitis laus, quam illa diis suis tribuere, quos oportebat esse summe bonos, & omnium virtutum parentes, & alumnos. Nam cum gesta illorum, quos populus pro diis colebat, narrant, illorum deseribunt tyrannides, patricidia, adulteria, incestus, raptus, fraudes, mendacia, & scelera nefanda: adeo ut inter honores reputent puerum Ganymedem à Jove deorum maximo ad amplexus nefandos fuisse raptum. Illa denique suis diis tribuunt vitia, quæ nullus homo sapiens pateret ut de se diceret. Quum autem hæc diis inesse dicunt, eo ipso hominibus persuadent, ut eadem faciant, quæ Deos fecisse audiunt. Nam exempla majorum multum ad persuasionem valent, ut eleganter Claudianus docet, sic inquit: Scilicet in vulgus manant exempla regentum.

Ut

Utque ducum lituos, sic mores castra sequuntur. Si Si exempla hominum movere possunt aliorum animos ad virtutem, aut virtutes, luce clarius est, id posse multo facilius præstare exempla Deorum. Nec solis exemplis ad voluptates, & lascivias lectorum animos provocat poetæ, sed etiam verbis, quæ tanto animo affectant esse oblectæna & turpia, ut poeta ab illis non censeatur, qui verba pudica habet. De qua re unum ex illis, Catullum videlicet, qui hæc tulit de carminibus poetarum legem, profero,

Nam castum esse docet pium poetam  
Ipsam, vericulos nihil necesse est  
Qui tum denique habent salem, & leporem,  
Si sunt molliculi, & parum pudici.

Ridenda quidem est hæc Catulli sententia, & ab omni viro prudente merito exhibenda, & explodenda. Quis non rideat castum dici poetam, qui de libidine cogitat, obscenâ meditatur, lascivias, & impudicitias scribit, & loquitur, atque cantillat? Qualis quisque est, talia loquitur, & scribit. Propter hæc malorum incitamenta, quæ poetæ auditoribus, & lectoribus præbent, Plato gravissimus Philosophus censuit illos esse procul à bona civitate abigendos, ne suo commercio totam profus inficerent civitatem.

De moribus hæcenus diximus illos apud gentiles scriptores esse vitiosos; sed opus est, ut pergamus dicere, quam male de his, quæ credere oportet, illi sentiant, & quam aperte fidem Catholicam illi oppugnent.

Omnia, quæ credere tenemur, duas Christi naturas respiciunt, divinam videlicet, & humanam: ea omnia gentiles non solum oppugnant, sed rident, & subfannant. Deum trinum, & unum non agnoscunt, sed multos secumque pugnantes deos adorant. Deum omnium creatorem non intelligunt, quia ex nihilo nil fieri posse credunt, & ita mandum sine principio fuisse, & sine fine futurum esse, docent. Deum esse bonorum remuneratorem, malorumque puniorem, major eorum pars ignorat, nihil post hæc vitam reliquum esse, sed animam simul cum corpore perire credit. Et si qui illorum animam immortalem esse credunt, ea de præmiis bonorum, & malorum supplicii dicunt, quæ longissime à Christiana pietate absunt. Humani generis casum, & perditionem, illiusque originem, neque unquam cogitarunt, ac proinde illius reparationem per Christum Salvatorem nostrum factam, intelligere non valent. Deum pro nobis è cælo descendisse, humanamque sumpsisse naturam, & in illa pro nobis famem, sitim, dolores, varioque corporis cruciatu, mortem denique in ligno crucis pro nostris peccatis pertulisse, non solum non credunt, sed eos qui talia docent, & prædicant, fructus esse putant: Prædicamus inquit Paulus 1. Cor. 1.) Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. Ecce totam Christianæ religionis summam à gentilibus, & prophanis scriptoribus ignoratam, & à multis illorum oppugnatam, & irritam. Et inde apertissime convincitur, afsiduum illorum lectionem valde nocere posse viris Christianis, præsertim incautis, & infirmis. Ideo Paulus optime cognoscens plurimum veneni esse in his profanis scriptoribus, admonet, (Coloss. 2.) ut circa illorum lectionem cauti simus: Videte, inquit, ne quis vos seducat per philosophiam, & inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi. Quæ verba interpretans Ambrosius in commentariis super epistolam Pauli, ait: „Philosophiam dicit terrenam, per quam solent seduci, qui cupiunt prudentes judicari in mundo.

Br aliquibus interpositis, subdit: Detinetur enim verisimilibus causis, & commentitiis rebus nihil tam verum æstimans, quam conspiciat & intelligit in elementis. Et quia quæ ad præsens sunt, & cernuntur oculis, sua via & oblectabilia videntur, aliquantos seducunt, qui spirituales rationem despiciendam, & ridendam putant, desperatione futuri, omnem vim astris assignantes, carnali rationi obnoxii, ne gravia credenda sint sustolli in cælum posse, ne leve venire ad terras, aut aliquid corporeum sine rerum admixtione generari, repugnantes potentia, ac providentia Dei. Sciunt enim legi in divinis veteribus Hebræorum voluminibus, multa gesta per Moysen, quæ humana ratio non capit, simili modo & in novis libris facta à Domino, aut per Apostolos, quæ tractatus carnalis prohibet credi. Hanc ergo traditionem, vel philosophiam fallacem, & inanem appellat, quia non à potentia Dei ordinata est, sed ab imbecillitate, ratiocinationis humana, quæ potentiam Dei intra scientiam Dei constat, ne aliter credatur facere, quam carnalis, se continet ratio, quia singulis elementis divinitatis diversitate deputant ad culturam, ut obligent animos impositorum, ne se ad Deum verum extendant. Quamobrem cavendam monet traditionem istam, quia mundi cultrix est, non Dei qui unus est, nec ad Christum; sed à Christo abstrahit, in quo perfectio divinitatis est. Hæcenus Ambrosius. Est adhuc in libris gentilium, & aliorum prophanorum hominum aliquid aliud falsæ illorum doctrinæ adjunctum, eloquentia scilicet, quæ illis magnas ad nocendum vires præstat. Nam ea, de quibus disserunt, non ruditer & impolite tractant, sed magno artificio poliunt, magna verborum elegantia exornant, adeo ut si res ipsæ quas tractant, animos legentium forte deterreant, ipse splendor orationis, & verborum ornatus allicere valeat. Et inde evenit, ut doctrinæ venenum tanta verborum dulcedine permixtum, tanto facilius incautis nocere possit, quanto libentius ab illis bibetur, cum illi non quod intus lateat, sed sola exteriorum verborum dulcedinem consideret. Quanta autem sit eloquentia vis & potentia, si quis forte ignorat, legat Valerium Maximum, lib. 8. cap. 9. ubi multis variisque exemplis probat, tantam esse illius potentiam, ut sæpe hominum animos quamlibet distantes ad se trahere, & duos flectere, & mollire possit. De qua re, cum multa possint proferri exempla, unum tamen solum idque efficacissimum offerre volo, quod narrat Cicero lib. 1. Tusculanarum quæstionum, & post illum Augustinus lib. 1. de Civit. Dei cap. 22. Plato in quodam libro, qui dicitur Phædon, eloquentissime disputat de immortalitate animæ, probatque illam esse immortalem. Hunc librum quem legisset Cleombrotus quidam Ambraciota, nulla molestia pressus, statim se præcipitem de muro dedit, ut ex hæc vita mille miseriis plena, migraret ad aliam, quam credidit esse multo meliorem. In eum extat Epigramma Callimachi Græcum, quod nescio quis in latinam linguam vertit, sic dicens:

Vita vale, muro præceps delapsus ab alto  
Dixisti moriens Ambraciota puer  
Nullum in morte malum credens, sed scripta Platonis  
Non ita erant animo percipienda tuo.  
Certe vel ex hoc exemplo facile constare potest, quam potens sit eloquentia ad flectendos hominum animos, quæ potuit flectere hominem nulla angustia vallatum, ut sibi ipsi ultro inferret mortem, quam omnes natura horrent. Ideo Paulus hæc eloquentia vim, & potestatem optime agnos-

Mmm agnos-

Tom. II.